Gal. 4. E. a.

GANGRÆNA THEOLOGIÆ ANABAPTISTICÆ,

Disputationibus XLIIX. olim publicè ventilata in Illust. Gymnasio Gelro-Velavico.

Auctore & Præside

JOHAN. CLOPPENBVRGIO
S. S. Th. Doctore & Professore nunc in Academia Franequerana.

Accedit

FRID. SPANHEMII,
S. S. Th. D. & Profess. Leidensis

Diatriba Historica
DE
Origine, Progressu, & Sectis
Anabaptistarum.

FRANEKERÆ,
Ex Officina BALCKII, Illust.
Frisiæ Ordin. & Academiæ
Typographi. 1645.

Ab 3 611.

Nobilissimis Amplissimis Cons
tissimisque IV-Viris.

D. D. CURATORIB
Illustris Academiæ Franekeræ.

D. RENICO à BURMAN

D. HOBBIO ab AYLVA
Ordinum Frisiæ Ex-Delegatis.

D. LIVIO à SCHELTIN
J. U. D. Ordinum Frisiæ à
Secretis.

D. JOHANNI NYS J. U.
Supremæ Curiæ Frisiorum
Assessori.

QVandoquidem, Viri Nobiliſſ. Ampliſſimi, Conſultiſſimique, veſtris auſpiciis ab Illuſtribus & Potentibus Friſiæ Ordinibus, vocatus ad Academiæ (quæ vobis curæ eſt) Cathedram Theologicam, Deum vocationis Dominum veneratus cum timore & tremore, me Providentiæ ipſius commiſi, ſequuturus quo ipſe me extrudit: Prima mihi hinc migraturo cogitatio fuit, quam poſſem animi vobis devoti & gratè teſſeram novus hoſpes apud vos deponere; qui me prævenîſtis nuper, inſignis amoris & benevolentiæ demonſtratione, ac coram vobis totum devinxiſtis. Atque hoc conſilio vobis dicandum cenſui hoc Opuſculum, quod exhibet in Sy-

nopsi Elenchum Theologiæ Anabaptisticæ : indicata errorum Gangræna, cum sanorum sermonum Antidoto. Annus labitur decimus nonus, ex quo vernacule à me instituta fuit scriptio ista; qua Gangrænam istam palam fieri flagitabat hypocrisis Confessionis editæ Amstelredami, A. 1624. à Sectæ Anabaptisticæ, quam Flandricam vocant, antesignanis: Quam illi opposuerant exprobratæ cunctis, in varias sectas scissis, Anabaptistis, linguarum confusioni, in edenda fidei Confessione. Ediderat siquidem variorum erotematum forma Anabaptistarum Babel Clar: Hermannus Faukelius Synodi Nationalis Dordrechtanæ Assessor ὁ μακαρίτης, de Ecclesiis nominatim Zelandicis optime meritus

tius: qui hanc mihi lampada tradidit. Scopo itaque paululum diverso, ex hypothesi istius, quam simulant illi, cunctorum Anabaptistarum discordiæ concordis: hoc egi, ut detecto fallaci Syncretismo, qui fere mera verborum æquivocatione imponit simplicioribus, quæ magis in Doctoribus suis attendunt exteriorem pietatis μόρφωσιν, quam sanorum sermonum ὑποτύπωσιν, ut, inquam, discerent simpliciores quæ zelum Dei habent animæ, nosse profunditates Satanæ & efficaciam erroris: ac nuncium mittere Syncretismo cum istis, in quorum Theologia supereſt μηδὲν ὑγιὲς, ac quibuscum frustra speres aliquem in fundamento religionis consensum orthodoxum. Hanc operam olim à me laboratam civibus meis, cum

in urbe patria Amſtelredami Verbi Dei miniſterio fungerer, ut Latinam facerem in communes Theologiæ ſtudioſorum uſus, qui flagitabant Enchiridion Theologiæ univerſæ. contra Anabaptiſtas Elencticæ, hortatus fuit Clariſſimus nunc in Academia Vltrajectina Profeſſor, Collega meus olim ἰσόψυχος in Eccleſiæ Heuſdanæ Paſtoratu: cui morem geſſi iſthoc ſchemate, ut ſine tædio adſtrictæ interpretationis lucubrationes Amſtelredamenſes paulo diffuſiores libere recognitas diſpeſcerem in iſtas XLIIX. Diſputationes; quibus ſe jam prope triennium in palæſtra Theologica hic exercuerunt ordinarie juvenes viri S. S. Theologiæ ſtudio in hoc illuſtri Gymnaſio initiati. Oportune jam mihi vi-

videor hoc vobis exhibere ſpecimen conatuum meorum, quibus prodeſſe ſtudeo diſcentibus, quibus ille eſt ſtudiorum ſcopus, ut ipſi quoque evadant διδακτικοὶ & δύνατοι τὸς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν qui & docere poſſint & contradicentes convincere: cum (jam inde à temporibus illis τῆς διασπορᾶς Anabaptiſtarum, poſt motus Monaſterienſes,) Friſiam inſederiut atque etiamnum inſideant Anabaptiſtarum agmina, quæ etſi, abjectis armis corporalibus, Rempublicam non turbent, non patiuntur tamen abſque certaminibus quotidianis ædificari Eccleſias puriores Reformatas. Vt in illis eſſe, & in palæſtra iſthac Anti-Anabaptiſtica exercere juventutem, pars ſit futura non minima laboris

mihi mandati & villicationis, cujus vobis post Deum mihi reddenda erit ratio: Nec alia mihi quærenda sit, qua me vestro amori & favori commendem, insinuatio, Viri Nobilissimi & Amplissimi: quam ut possim hoc specimine vobis probare fidem saltem & diligentiam, qua me impendi & impendam, cum bono Deo, discentium studiis in Professione & defensione Veritatis quæ secundum Pietatem est. Deum Optimum Maximum supplex precor, ut Vos veros pios Docentium & discentium Mæcenates, quam diutissime, quam fœlicissime, sospitet: ac piæ vestræ Curæ, quâ vigilatis pro salute & incolumitate nobilis Seminarii Reipublicæ & Ecclesiæ, quod fovent Illustres ac Potentes Frisiæ Ordines,

dines, rependat cumulatissimè benedictiones hujus & futuræ vitæ. Dabam Harderovici VII. *Kalendas Aprileis, Anno Iuliano Æræ Christianæ 1644*

Vestræ Nobil: Amplitudinis
observantissimus

JOHANNES CLOPPENBURGH.

DISPV-

DISPUTATIONUM SYLLABUS.

I.

I. De Dei Nominibus & Natura Unica. *1641. 27.* Maii.
Respondente Francisco Hollio Doesburgensi.

II. De Mysterio S. S. Trinitatis, *5.* Iunii.
Resp. Daniele Nicolai Arnhemiensi.

III. De Dei Immensitate. *10.* Iunii.
Resp. Ottone Henrico Schlebusch Colonienſi.

IV. De Dei Invisibilitate. *19.* Iunii.
Resp Gerlaco Rynvisch Elburgensi.

V. De Essentiæ Dei Immutabilitate, *26.* Iunii.
Resp. Alteto Gosuini Hattemiensii.

VI. De Filiatione Christi Divina *8.* Iulii.
Resp Iohanne Coetsio Neomagensi.

VII. De Deitate Christi Patientis & Resurgentis *15.* Iulii,
Resp. Iusto VVilhelmo Mollero Herbornensi.

VIII. De Origine Carnis Christi ex Matre,

Matre. 24. Iulii.

Resp. Sebastiano Magiro Neo-Paludano Gelro.

IX. De Origine Carnis Christi ex Patribus. 5. Augusti.

Resp. Rabano Teutone Hammona VVestphalo.

X. De Unione Hypostatica duarum naturarum in Christo.

14. Augusti.

Resp. Rudolpho Landmesser VVassenbergensi Iuliaco.

XI. De Syncretismo Anabaptistarum circa originem Carnis Christi,

Resp. Theodoro à Bruch Heinsbergensi Iuliaco,

II.

XII. 1. De Spirituali natura Fœderis Dei in genere,

28. Octobris.

Resp, Gerardo à Thiel Haderviceno.

XIII. 2. De Creatione hominis ad Dei Imaginem.

23. Decemb.

Resp. Rudolpho Landmesser VVassenbergensi Iuliaco,

XIV. 3. De Mortalitate primi hominis

1642. 8. Ianuarii.

Resp. Ottone Henrico Schlebusch Colonienſi.

XV. 4. De Peccato primo Imputato. 22. Ianuarii.

Resp. Gerlaco Rynviſch Elburgenſi.

XVI. 5. De Peccato Originis & Servo arbitrio. 3. Febr.

Resp. Alteto Goſſuini Hattemienſi.

XVII. 6. De Inſtauratione hominis lapſi. 10. Febr.

Resp. Sebaſtiano Magiro Neo-Paludano Gelro.

XIIX. 7. De Gratia Mediatoris Chriſti. 24. Febr.

Resp. Rabano Teutone Hammona VVeſtphalo.

XIX. 8. De Effectis Unionis Hypoſtaticæ in Chriſto Mediatore. 11. Iunii.

Resp. Caſparo Caroli Harderviceno.

XX. 9. De Electione & Iuſtificatione Gratuita 23. Iunii.

Resp. Iohanne Voſſio Arnhemienſi.

XXI. 10. De Vocatione Efficaci 30. Iunii.

Resp. Ottone Henrico Schlebuſch Colonienſi.

XXII. 11. De Fide & Imperata & Donata 28. Iulii.

Resp. Alteto Goſſuini Hattemienſi.

XXIII.

XXIII. 12. De Differentia Legis & Euangelii

10. Nouemb.

Resp. M. Henrico From Colonienſi.

XXIV. 13. De bonorum Operum Dignitate & Perfectione in hac vita. 19. Novemb.

Resp. Petro Hooglandt Hagienſi Batauo,

XXV. 14. De Certitudine Salutis & Perſeverantia in Fide.

24. Novemb.

Resp. Ludolpho Teutone Hammona VVeſtphalo

XXVI. 15. De Sancta Catholica Eccleſia 3. Decemb.

Resp. Bernhardo Decano Marcano.

XXVII. 16. De Eccleſia Triumphante 1643. 26. Ianuarii.

Resp. Iohanne Rynviſch Elburgenſi.

XXIIX. 17. De Reſurrectione Carnis 9. Febr.

Resp. Frederico à Staveren Swollano.

III.

XXIX. 1. De Novo Teſtamento in genere 13. Maii.

Resp. Gerlaco Gerlaci Iucheno-Iuliaco.

XXX. 2. De Una Ecclesia Veteris & Novi Testamenti 18. Maii.

Resp. Sebastiano Magiro Neo-Paludano Gelro.

XXXI. 3. De lege Cæremoniali abrogata in N T. 13. Iunii.

Resp. Alteto Gossuini Hattemiensi.

XXXII. 4. De Scriptura Sacra Testamenti Veteris & Novi. 10. Iunii.

Resp. Cornelio à Thiel Haderviceno.

XXXIII. 5. De Verbo Dei Interno 29. Iunii.

Resp. Bernhardo Decano Neoradensi Marcano.

XXXIV. 6. De Fine Legis & initio Euangelii. 8. Iulii.

Resp. Petro Leonhardi Schirten Embricensi.

XXXV. 7. De Primo præcepto Decalogi. 13. Iulii.

Resp. Frederico à Staveren Swollano.

XXXVI. 8. De Secundo præcepto Decalogi 20. Iulii.

Resp. Ludolpho Teutone Hammona VVestphalo.

XXXVII. 9. De Iuramento, ad Tertium præceptum Decalogi. 3. Augusti

Resp. Iohanne Thiens Aquisgranensi.

XXXIIX. 10. Ad Præceptum Decalogi IV. & V. 12. Aug.

Resp. Iohanne Rynvisch Elburgensi.

XXXIX. 11. Ad Præceptum Decalogi V. & VI. de Magistratu Politico 26. Octob.

Resp. Iohanne Thiens Aquisgranensi.

XL. Ad Præceptum Decalogi VI. de Iure Gladii. 4. Novemb.

Resp Caspare Caroli Harderviceno.

XLI. 13. Ad præceptum Decalogi VII. de Matrimonio & Divortio. 9. Novemb.

Resp. Iohanne VVeldenero Neid. Hasso.

XLII. 14. Ad Præceptum Decalogi IIX. IX X. 18 Novemb.

Resp. Gualthero Hegeman Elburgensi.

XLIII. 15. De Regimine Ecclesiastico N. T. 23. Novemb.

Resp. Bernhardo Decano Neoradensi Marcano.

XLIV. 16. De ministris Ecclesiæ N. T. 2. Decemb.

Resp. Balthasare Hydoreo Appelthorna Gelro

XLV. 17. De Sacramentis N. T. in genere. 9. Decemb.

Resp. Iacobo Martini à Sevender Embdano.

XLVI. 18. De Ana-baptismo.

14. Decemb.

XLVII. 19. De Pedo-Baptismo.

21. Decemb.

Resp. Ludolpho Tentone Hammona VVestphalo.

XLIX. 20. De Cœna Domini & Notis Ecclesiæ.

1644. 23. Ianuarii.

Resp. Iohanne VVeldenero Neid. Hasso.

Gisbertus Voetius in *Bibliotheca studiosi Theologiæ, edita Anno 1644, lib. secundo, de Apparatu ad controversias Anabaptisticas*, pag. 554.

Hoc anno Iohannes Cloppenburch Professor Theol. Harderovicensis, nunc Franequeranus, scriptum suum Belgicum veste latina & scholastica induit, quod studiosis nostris commendo.

DISPUTATIO I.

DE

Dei Nominibus & Natura Vnica.

1.

Angræna fecit hæresis etiam illorum Anabaptistarum qui post motus Monasterienses an. 1535. extincto, saniores visi sunt, aut minus noxii, inter quos eminuit *Menno Simonis*, à quo communi denominatione hodie dicuntur *Mennonitæ*, *Mennisten*, ut in hodierna ipsorum Theologia sic *quod lo dyde* nihil sani: quod maxime imputandum efficaciæ erroris in articulo de Incarnatione Christi.

2. De Incarnatione Christi controversia inter *Mennonem* S. & *Iohannem à Lasco*, & *Micronium* disputata, circa annum 1545. ut ex *Defensione* I. *à Lasco* constat, tangebat tantum *Originem* carnis *Christi*.

3. Salva erat Fides Orthodoxa de Uni-

Unitate Essentiæ Dei & Trinitate Personarum: quam contra Arianum *Adamum Pastoris*, in *Colloquio Lubecensi* vernacule excuso, habemus à *Mennone S.* defensam: Et ponebat *Ioh. à Lasco* extra controversiam quæstionem illam, *An Christus Dominus sit Dei Patris* ὁμοούσιος *Filius*.

4. At diu salvam esse non permisit pertinacia Anabaptistarum, qui quidvis potius sibi censuerunt movendum, quam ut cogitarent de Palinodia, ac faterentur veram Carnis Christi originem ex carne Virginis Mariæ.

5. Hodie enim insigniores Anabaptistæ, maxime illi qui dicuntur *secta Flandricæ*, quibus refertum est Belgium, isti Orthodoxæ & Catholicæ Fidei de Unitate Essentiæ divinæ & Trinitate Personarum nuncium miserunt, ut, quando uno ore nobiscum loqui videntur, lùdant tantum æquivocationibus ad decipiendos idiotas comparatis.

6. Negant initio, Verum Deum qui nobis adorandus est, Deum in Scripturis nominari Nominibus significantibus Essentiam ejus æternam & increatam, adeoque ipsi propriis: sed tan-

tantum notari nominibus Dei Dominium Dei, ſignificatione communi, qua etiam Moſes & Præfecti Iſraelis dicti ſunt Dii.

7. Refellitur hoc πρῶτον ψεῦδος (quod ex idiotarum affectata ignorantia, qua linguas originales Scripturæ S. negligunt, ortum videtur) ex nomine Tetragrammato יהוה Jehovah: quod negari non poteſt ab Eſſentia ſuam habere Etymologiam, atque illa nominis notatione ſoli æterno & increato Deo proprium eſſe: Atque in verſionibus librorum & Locorum V. T. Nomen κύριος, Dominus, frequenter reſpondere huic vero nomini proprio veri Dei.

8. Errant graviter qui hoc, quod fateri coguntur *verum nomen proprium veri Dei*, exiſtimant in Scriptura etiam creaturis communicari; quod negamus ex ullo Scripturæ loco evinci poſſe factum, neque figurata acceptione, neque per catachreſin aut ironiam, à Scriptura loquente; neque hoc concedendum propter nominis illius conteſtationem divinam. Eſ. 42. 8. & 48. 2. 11.

9. Enimvero dato non conceſſo eſſe in Scripturis loca, ubi unus memo-

retur

rerur Angelus creatus, Dei personam nomenque Dei proprium sustinens: non infringitur tamen quod hic urgemus, Quando saltem Vero Deo tribuitur hoc nomen יהוה esse hoc notatione non Dominii sed essentiæ verum nomen proprium.

10. Quamvis autem singulariter sua etymologia, & notatione Essentiæ, nomen illud יהוה sit verum nomen proprium veri Dei; De reliquis tamen Veri Dei Nominibus in Scriptura S. hoc quoque affirmamus, sive absolute Deo propria censeantur sua Etymologia, sive communia, & nonnunquam communicata creaturis: nusquam tamen ita absolute & definitive in singulari de natura aliqua aut persona creata prædicari, quin ipso schemate dictionis manifesta sit ironia aut catachresis.

11. Illustramus assertionem hanc, distinctione Nominum Dei, ab Indigitamentis illis, quæ Attributorum Sapientiæ, Bonitatis & Justitiæ Dei quadam imagine analogica Creaturis sunt communia: ut quamvis κατ' ἐξοχὴν Deo vero ut propria vindicentur, dicaturque ipse solus Sapiens, Bonus &c. Tamen etiam absolute & definitive

prædicentur de creaturis, nulla nominis divini profanatione aut catachresi: Non potest similiter absolute & definitive de aliqua singulari creatura dici, ipse est Deus, quemadmodum fas est dicere, ipse est Sapiens, Bonus, Justus. Ezech: 28. 2. 9.

12. Hinc manifestum est Nomina vero Deo in Scripturis attributa, quibus salutatur Deus à creaturis adorandus, V. G. in acclamatione iterata 1. Reg. 18.32. יהוה הוא האלהים Jehovah ipse est Deus, significare directe Essentiam & Naturam divinam, qua ipse ab omnibus λεγομένοις Θεοῖς dictis Diis, etiam Magistratibus & Angelis, quibus ipse dixit Dii estis, distinguitur ut solus φύσει Θεὸς Natura Deus, Gal: 4. 8. cum 1. Cor. 8. 4. 5.

13. Neque jam, per distinctionem Nominum Dei ab Indigitamentis, locus est evasioni isti, *Naturam Dei non esse ipsam Dei essentiam, sed Sapientiam Bonitatem & Justitiam Dei:* quod satagunt confirmare ex 2. Pet. 1. 4. ubi dicuntur fore Θείας κοινωνοὶ φύσεως Divinæ naturæ consortes. Nihil quidquam efficitur ex hoc loco contra nostram assertionem quomodocunque illum tor-

torqueant; quia nunquam erimus aut dicemur Natura Dii φύσει Θεοὶ: etiam quando erit consummata naturæ nostræ sanctificatio.

14. Non est autem ad verborum Petri vindicationem, contra Euthusiastarum monstrosam Apotheosin seu Deificationem naturæ creatæ, necessum, ut hoc Anabaptistis largiamur in hac concertatione; ut Θεία φύσις significet hic non ipsam essentiam Dei sed attributa Sapientiæ, Bonitatis & Iustitiæ. Scimus fevere isti exceptioni commentarios orthodoxorum: Verum censemus rectius nos posse interpretari Θείαν φύσιν Divinam naturam, Deum ipsum, qui sua natura Deus est, illa loquutione qua Hominem Jacobus uocat φύσιν ἀνθρωπίνην Naturam humanam, Jac. 3. 7. Dici autem oprime possunt pii absque suæ naturæ Deificatione, Divinæ naturæ id est Dei ipsius κοινωνοὶ, quia cum ipso habent κοινωνίαν 1. Joh. 1. 3. Confer phrasin 1. Cor. 10. 20.

15. Præcognita & adserta Nominum Dei in Scripturis prædicatione de Vero Deo, significatione non communi Dominii, aut attributorum com-

mu-

nunicabilium quadam analogia, ſed propria notione naturæ & eſſentiæ divinæ: corruit Hypotheſis Anti-Trinitaria Anabaptiſtarum Doctoris I. *Ottermanni*, Unius Dei appellatione non notari unam divinam Veri Dei viventis Vitam & Eſſentiam ęternam: ſed contineri poſſe Eſſentias plures, ſua Vita ſingulari diſcretas, modo intelligantur in Cathedra una, & Regno uno, uniti, una individua gubernatione & Dominatione.

16. Æquivocationem illam Anabaptiſticam, qua ſi dixeris Patrem Filium & Spiritum S. eſſe tres Perſonas, at Deum unum: poſſis tamen cum Arianis ſentire Patrem ſolum habere Vitam & Eſſentiam æternam & increatam; quod non obſcure urgent ex Joh: 17. 3. Eph. 1. 17. Matt: 27. 45. & Joh: 20. 17. *Confeſſionis oppoſitæ H. Faukelio 1624. auctores pag. 48.* Æquivocationem, inquam, illam non patitur locus illuſtris Deut. 6. 5. in quo & ſubjectum & prædicatum enunciationis facit verum nomen proprium veri Dei, quod Eſſentiam ęternam notat. Audi Iſrael Jehouah Elohim noſter, eſt Jehovah unus. Nullo ſchemate poteſt eſſe unus

Jeho-

Jehovah extra unam æternam essentiam.

17. Ad locum Joh. 17. 3. in quo volunt singulariter Patrem appellari Solum verum Deum, respondemus, contrarium verum esse, & ipsis Christi verbis doceri; & Patrem & quem ille misit Jesum Christum esse unum illum verum Deum.

18. Loca reliqua non subiiciunt Deitatem Filii Deitati Patris, sed tantum naturam humanam assumptam.

19. Linguarum inter Anabaptistas confusionem & desperatum Babel merito nominaveris quod hic cum *Mennone* discordiam Concordem jactent, quæ sola verborum ambiguitate conciliata expediri queat: *confess. pag. 57.* ubi à I. *Outerman* scriptum exstat. *Confiteri Deum ὁμοούσιον seu unius essentiæ, esse Nomen extra & contra Verbum Dei X. Art. art. 3. §. 93.* Scripsit ergo seu dictavit extra & contra verbum Dei *Menno S.* sequentia hæc: quæ ex vernaculo colloquio Lubecensi exscribimus Latine ad verbum translata.

20 *Quamvis dicamus. Omnipotens Pater, Omnipotens Filius, Omnipotens Spiritus S. tamen non sunt tres Omnipotentes; sed*

unus,

unus, omnipotens, & æternus, individuus Deus: Non enim est unus absque alio. Iterum, inquam, Quamvis illi sint tres Substantiæ seu Personæ: sunt tamen Virtute, Operatione, Voluntate, & in Omnibus una æterna, individua, Omnipotens Essentia, Natura, Gloria, Spiritus & Deus unus.

11. Vnitatem æternæ Essentiæ à *Mennone* cum Personarum Trinitate orthodoxe contra *Adamum Pastoris* adsertam, demonstrant verba 1. Ioh. 5. 7. Hi tres Vnum sunt: & nominatim Filium esse Patri Homoousium, verba Christi Ioh. 10. 27. Ego & Pater unum sumus: Et hic ludibrium debet Anabaptistarum Doctor 1. *Outermannius*, quando profitetur, *se hic contemnere Artis Grammaticæ analogiam.*

Disputatio. II.

De

Mysterio S. S. Trinitatis.

1. Illis Scripturæ locis 1. Joh. 5. 7. & Johan. 10. 30. ipso dictionis schemate Grammatico ἓν ἐσμεν, ἓν ἐστι, Unum sumus, Unum sunt, demonstratur singularis in Deitate Essen-

 sen-

ſentię Unitas, quamvis communis tribus Perſonis: ſed priori loco ſolida altera demonſtratio ſubeſt, ex Teſtificatione ipſa cœleſti, quæ, extra unicam æternam & increatam eſſentiam, non poteſt eſſe, à teſtificatione quavis alia independenter, authentica & infallibilis: ex quo conſequitur per Teſtificationis identitatem, Teſtium trium, in divinę Omniſcientiæ & Veracitatis attributis, adeoque, (propter abſolutam Dei ſimplicitatem,) in ipſa Deitatis Eſſentia, Unitas.

2 Enimvero, ubi teſtes tres negare tutum non eſt, ne tamen Perſonas tres fateri cogantur, averſantur Mennonitæ in Myſterio S. S. Trinitatis vocem Perſona; quaſi *conficiam* tenere & *ambiguam. Confeſſ. oppoſita Faukelio pag. 53.* Quamvis ignorare non poſſint illa uſum *Mennonem S. in Colloqu. Lubec.* & in *Confeſſione* quam inſcribit *claram & διαπρεπῆ* quæ exſtat *Summarii part. 2. Quod Chriſtus Ieſus ſit unica & individua Perſona.*

3. Si adhibita voce *Perſona*, edi poteſt Confeſſio Clara & quę contradictionem non patitur, de Chriſto Jeſu: cur inſimulatur ambiguitatis vox illa,

Patri

Patri Jesu Christi attributa, vel Spiritui sancto?

4. Nec conficta censeri potest, etiam Ciceroni & Quintiliano usurpata, non de hominis tantum conditione & qualitate, sed de humano individuo Cic: Ep: ad fam: lib: 3. ep: 5. & de Invent: lib: 1. §. 48. Quintil: instit: Orat: lib; 8. c. 8. lib: 4. c. 1. lib: 9. c. 2. Quod notamus propter falsam & temerariam *Vallæ* censuram in *Boethium Elegant: lib. 6. cap: 35.*

5. Analogica similitudine substantiæ humanæ primæ & individuæ, nec temere, nec à Boethio primum, sed ante illum à Tertulliano Latinorum Patrum antiquissimo, adhibita est, ad distinctius significandum, id quod in hoc mysterio Græci Patres dictum volebant, maxime voce ὑπόστασις Hypostasis: quam non satis a præcisa notione Essentiæ communis, ut incommunicabilem, distincte exprimebat Latina vox *Substantia*, quando olim dixerunt Patres Latini sensu orthodoxo *Vna essentia, tres Substantiæ.*

6. Jam vox *Hypostasis*, (quam Latine *Personam* interpretatus est *Tertullianus contra Praxeam, cap: 11. 12. 13. 14. &*

illum sequuti Patres alii, ut nulla esset in voce ambiguitas,) ab ipso Apostolo extat usurpata in hoc ipso mysterio, ubi Filium vocat characterem ὑποστάσεως Hypostasios Dei (Patris) Heb: 1. 3. Quare non magis ἄγραφον, seu præter Scripturam conficta, dici debet vox *Persona*, seu Latina, seu ad usum linguæ vernaculæ cujuscunque traducta, ad necessariam vocis Græcę interpretationem; quam quęvis vox alia vernacula, qua ipsum Dei nomen ex originali lingua transfertur.

7. Sed morositatis Mennonitarum circa vocem Personæ, mysterium est, Quod Christum non unanimiter nec constanter credant, Personam divinam aliam à Patre esse, ante nativitatem ex Maria virgine, ab æterno genitam.

8. Latet ille anguis in herba, quando videri volunt vel maxime asserere Æternam Filii à Patre generationem, ejusque modum arcanum inscrutabilem & ineffabilem: *Confess. oppositæ Faukel. pag. 60. 61.* Istius enim Confessionis socii, inter quos agmen ducit *Iac. Outerman, Respons. ad 57. Artic. pag. 39. §. 37. & 12. §. 120.* crasse nimis produnt

dunt hoc νεὶ κῆ ἔ affectatam ad μιλοδίαν τῆς πλάνης æquivocationem.

9. Quid ergo Æternæ Filii à Patre generationis nomine, hæretico sensu intelligant, discendum ex *I. O. Art. 5. §. 22. 8. §. 52.* ille non semel dictat, *Christum propterea à Prophetis Deum nominatum, & esse Æternum Dei Filium, quod pro nobis prævisus fuerit ante mundi initium, ut Petrus inquit. 1. Pet. 1, 20.* Quod quando ipsis visum est dissimulare, qui tamen non dissentiunt, negant *Christum hoc nomine esse unigenitum Dei filium, quod ad hoc electus sit,* ludentes in voce *electus*; quam nolunt esse Synonymam voci *præordinatus*, aut *prævisus:* quamvis illam adhibeant, ut quod ajunt negare credantur, quando intempestivum videtur quod sentiunt enunciare.

10. Præordinatio certe illa seu Prædestinatio qua Filius Dei est προεγνωσμένος seu præordinatus ante jacta mundi fundamenta 1. Pet. 1. 20. perperam pro Æterna filii generatione, vel obtruditur, vel cum illa confunditur; Est enim Præordinationis illius (ut à libero Dei decreto profectæ, in secundo quasi momento æternitatis,) Objectum

præexistens in primo momento, Persona Filii genita: & Subjectum est voluntaria Filii fidejussio & fidejussionis in tempore subsequutura exsequutio. Atque ea propter Præordinatio omnino aliud quid est ab ipsa Æterna Filii generatione. eaque posterius.

11. Accedit ex ipso Petri loco, quod præordinationis terminus præfinitus, definitur non Filiatione ipsa gloriosa in forma Dei (quod debuerat fieri ex hypothesi,) sed ignominiosa ad mortem exinanitione in forma servi, quasi Agni devoti mactatione.

12. Luxata istis æquivocationibus confessione de Æterna Filii Dei generatione, ut hoc nomine liberum sit intelligere Æternam præordinationem Filii hominis: Confundunt monstrose veram ab æterno existentem essentiam veri Dei, cum Essentia Carnis Christi nondum existentis, quando asserunt *Filium Dei ab æterno fuisse in forma Dei*, & (quasi contra *Arium* orthodoxe sentiant) *Christum esse cum Patre & Spiritu S. Creatorem omnium, non creaturam*: ita enim loquuntur ὅμοια, quamvis ἀνόμοια φρονοῦντες C. C. & J. O.

13. Prodit enim suo se indicio J. O. affir-

affirmans *Christum etiam secundum carnem, & secundum essentiam humanam non esse Creaturam Art. 7. §. 41. & 8. §. 31. 37. 40.* Quæ est ἀθεόλογος & ἀφιλόσοφος h.e. pugnans cum Theologiæ & Philosophię principiis hæresis Euthusiastica *Swenckfeldii*. Et rursum, quando repudiat & ut absurdam Orthodoxis exprobrat hypothesin, de vita Deitatis Christi antiquitatis infinite imparis ad ætatem vitæ carnis Christi: *Twee levens van ongelijcken ouderdom. Art. 9. §. 14. & 10. §. 33.*

14. Gangrænam facit hæc ἀλήκτος assertio Æternæ Filii essentiæ sine existentia, ut idem I. O. quamvis Æternam essentiam & Deitatem Filii, tamen nec immutabilem nec immortalem, sed *tantum incorruptibilem* confiteatur: *ex loco Act: 13. 35. Ac locum Iacobi. 1. 17.* non patiatur ad Filium accommodari, sed *de Patris solius essentia immutabili* interpretetur. *I. O. Art: 5. §. 51. 62. & 7. §. 43. 48.*

15. Neque quantumvis vernacule de Filio enunciet Filium ab æterno fuisse in forma Dei, *ende God gelijck*, pronunciat fuisse Deo *æqualem*, sed ludens in vocis vernaculæ ambiguitate,

similem tantum dicit, detorsione manifesta loci Philip: 2. 6. ubi ἰσα signifícat necessario æqualitatem Filii cum Deo Patre, & consequenter *in forma Dei* non est in Idea mentis divinæ à decreto præfinita, juxta quam ad imaginem Dei Christus homo factus est: sed in unica Dei essentia immutabili.

16. Ex loci ergo istius verbis quæ æquivocationem istam non ferunt, ut similis tantum Patri intelligatur Filius, sed necessario flagitant ut credatur Filius in Essentia Deitatis patri coæternus & coæqualis, & consequenter pariter immutabilis ut Pater, concludimus ferire Doctorem Anabaptistam J. O. hoc ipsius præjudicium, quod Anathematis vice vibrat in Confessionem Orthodoxam de alia persona Filii à Persona Patris, sed Essentia æterna & immutabili unica: *Siquidem Servatorem profiteamur Servum talem, quem non docet nos Scriptura: proclive est, ut sit abnegatus Dominus, qui nos redemit. 10. Art. Art. 5. §. 46.*

17. De Deitate Filii reliquam Gangrænam servamus ad sequentem suo loco titulum de Incarnatione: hujus loci porro sunt hæreticæ hypotheses

Men-

Mennonitarum degenerum, de Essentia Spiritus S. & Persona. Fatentur enim *jam quidem esse illum alium à Patre*, sed premunt responsionem suam ad quæstionem, *An fuerit ab æterno distinctus à Patre & alius à patre*, quod Orthodoxi affirmant, confitentes alium atq; alium Patrem & Spiritum S. sed non aliud atque aliud Ens. I. O. Resp. ad 57. Art. pag. 19. §. 36. & 12. §. 26.

18. De cætero, æquivocationibus ludunt in Confessione, nec edunt quid sentiendum sit, de donorum Spiritus S. diversitate ab ipso Spiritu S. ex qua demonstratur esse Persona vera. *Conf. oppositæ Faukelio pag. 68. 69.* Neque si quidem jam Persona est, an Persona fuerit ab æterno: & an Æterna sit ejus Processio à Patre & Filio. Tantum confitentur *quatenus à Patre in nomine Filii procedit sive mittitur, alium esse à Patre & Filio. Joh. 15. 16. & 14. 16. ibidem.* Qua confessione confundunt Processionem arcanam, cum Missionis Spiritus S. opere ad extra.

19. Sic videmus luxatam apud Mennonitas Fidem Orthodoxam de S. S. Trinitate, Ubi autem illa salva non est, vel sacrilege non colitur & adora-

adoratur religiose, cum Patre Filius & Spirit. S. vel idololatrice juxta Creatorē colitur & adoratur creatura, Christus merus homo qui non est natura Deus. Ro. 1. 25. Gal. 4. 8.

Disputatio III.

De

Dei Immensitate.

1. NOn est negligenda nec levis momenti etiam hęc Gangræna Theologiæ Anabaptisticæ, qua cum Socino & Vorstio, jam olim, negant Essentiæ divinæ immediatam Omnipræsentiam, adeoque verę Immensitatis Dei attributum, qua nulli loco commensurabilis est Essentia veri Dei.

2. Negavit illam prolixe in X. Articulorum libro, & impugnavit *Art. 2. Anno. 1611. l. O.* quando eodem anno *& breviori & pleniori Apologetica Exegesi* hæresin illam à nobis ex libro *de Deo, Excerpto XVI.* notatam, frustra & mala fide dissimulabat *Conr. Vorstius*, A quo haustum censemus in *Confessione* Ana-

ba-

baptiſtarum *oppoſita Faukelio*, ſchema dictionis iſtud Deum divina ſua potentia *aliquo modo* ubique præſentem eſſe; verum *ſpeciali modo* habitare in cœlis. Utebatur ille Evaſione iſta diſtinctionis, inter *rem ipſam & modum rei ſpecialem*: Rem ipſam, h. e. *Deum vere immenſum atque omnipræſentem eſſe, eoque cœlum & terram implere, ſimpliciter & generatim, ex verbo Dei*, ſcilicet credebat: *Modum autem ſpecialem inter arcana Dei* numerabat. *Apolog. Exeg. pag. 84.*

3. Rem ipſam ſimpliciter & generatim ex verbo Dei credendam ſalvam eſſe fruſtra contendebat, quum ſcripſiſſet, *Scripturam videri aſſerere, Deum eſſentia ſua tantum in cœlo eſſe*: item: *Non ſequi, Deum illic eſſentia ſua immediate præſentem eſſe, ubicunque operatur: quia per cauſas medias, ſive phyſicas ſive hyperphyſicas, puta Angelos, operari poteſt: ut Rex aliquis per ſuos miniſtros. &c. in libro de Deo: à pag. 230. & ſeqq. uſque ad 243.* Eſt ſcilicet (ſi Vorſtio concinentes Anabaptiſtas audimus) aliquis etiam *præſentiæ modus mediatus* ubi per vicarios Angelos præſens eſt Deus: *Specialis* autem *modus* eſt ille nobis incomprehenſibilis, *immediatus*, in cœlis.

4. Enimvero absque immediata Essentiæ Dei præsentia, nullus est, nec generalis nec specialis, veri nominis præsentiæ modus: Qui enim fingitur præsentiæ modus mediatus, rem ipsam destruit: est autem revera Essentiæ Dei absentia, cum absentiæ compensatione; est enim compensationis absentiæ modus aliquis ille, quo per vicariam ministrorum suorum præsentiam Rex aliquis habet suæ absentiæ, in locis, in quibus frustra cuperet simul & semel præsens esse, solatium.

5. Negamus autem Specialem modum Præsentiæ Dei recte dici Immediatam essentiæ Dei præsentiam: hæc enim est res ipsa generatim ex Verbo Dei credenda. Quæ si in Cœlis vere creditur, similiter in terris credenda est; *ut certus & necessarius fidei articulus*: qui nisi credatur, corruit Fides veræ Deitatis Christi versantis in terris: Essentiæ enim seu naturæ divinæ non immediate præsenti in terris, adeoque, velis nolis, ex hypothesi, absenti, nulla potuit intercedere, cum natura humana absente, Unio hypostatica. Est enim illa intima ejusmodi unitio, quam fingere absque intima præsentia Chi-

mæ-

mericũ est. Quomodo Chimæricæ censemus quæ *de modo Vnionis duarũ in Christo naturarum per arcanum quendam* absentis *Deitatis* τὸ λόγε *in humanitatem* absentem *influxum*, ex Scholasticorum lacunis haurire maluit *Vorstius*, *Apolog. Exeg. cap. 17.* quam cum Scholasticis idem sentire de vero modo Omnipræsentiæ Dei.

6. Nos quidem hic neminem adstringendum censemus, curiosis Scholasticorum definitionibus: nihil tamen videmus reprehendendum in illa quidem hypothesi, quam ille carpendam censuit *Apol. Exeg. pag. 77. Dei essentiam adeo Infinitam esse ut ne ipsius quidem Dei respectu definita dici possit, quippe quæ non modo cœlum & terram immediate, sed & tantum spacii verè ac realiter occupet, quantum non centies aut millies, sed infinities milleni mundi (si per impossibilem hypothesin forte darentur) occupare possent.*

7. Omnino enim vel nulla est absoluta Dei Infinitas ne quidem per veram Æternitatem, vel cum Æternitate credenda est Immensitas: ratio enim nulla est quare credamus magis locum quam tempus Essentiæ divinæ commensurari posse, ut magis ipsius

Dei respectu definitum diei possit Essentiæ ubi, quam ejusdem duratio.

8. Si autem creditur Absoluta Infinitas, quæ credenda est Scripturæ auctoritate, per quam ut exstitit ante omne Tempus, sic ante omnem locū aut ubi, ut in tempore, sic in spacio imaginario creabili: Quidni credamus non Immensam esse Dei essentiam, per Omnipræsentiam, quæ ponit definitum aliquod universum; sed Omnipræsentem per Immensitatem essentiæ independentem ab omni creato Loco & ubi? Auctoritates Scripturæ habemus quibus munita est vera Dei per Immensitatem Essentię Omnipræsentia. Jerem. 23. 24. 1. Reg. 8. 27. 2. Chron. 2. 6. & 6. 18. Job. 11. 8. Psal: 139. 7. 8. 9. 10. Esai. 66. 1. 2.

9. Nervos autem dogmatis *Socini, Vorstii, & Iac. Outermanni* incidimus per sequentes Hypotheses veras, quibus ad Scripturæ ἐναντιοφανῆ, quæ obiiciuntur, respondemus. Ex *Dei in Cœlo habitationis modo speciali*, non demonstratur, Deum Essentia sua tantum in cœlo præsentem esse: Alioqui demonstrabitur similiter ex Dei in Templo habitationis modo speciali, Matt. 23. 21.

Deum

Deum Essentia sua tantum in Templo præsentem fuisse.

10. *Adoratio Dei cum cordis & manuum in cœlos elevatione* Thre. 3. 41. & *Formula Precationis illa, Pater noster qui es in cœlis*, Non docent Deum à nobis adorari, cum illa loci distantia absentem, qua distat à terra cœlum: hoc enim repugnat testimonio isti Act. 17. 27. 28. Non enim longe abest ab unoquoque nostrum, in ipso vivimus, movemur & sumus.

11. Quid ergo? Testamur nos desiderare & quærere nobis in cœlo paratam cohabitationem cum Deo Heb. 11. 16. cum Matt. 25. 34. & benedictiones illic nobis destinatas & servatas, seu hæreditatem, non extra cœlum fruendam. Eph. 1. 3. 1. Pet. 1. 4. Et singulariter, post Christi in cœlum ascensionem, nos è cœlo exspectare secundum Christi adventum: Phil. 3. 20.

12. *Ascensus & descensus è cœlo.* Proverb. 30. 4. Exod. 19. 18. Nehem. 9. 13. non notat Essentiæ Dei facultatem Locomotivam, aut ejus migrationem è cœlo in montem Sinai: sed manifestationem virtutis divinæ extra or-

di-

dinem operantis in cœlo vel in terra.

13. Si, ex hypothesi, descensu locali datur migratio essentiæ Dei in terram: datur quoque intercisio Visionis illius, qua facies Patris ab Angelis in cœlo videtur *die noctuque* semper Matth. 18. 10.

14. Rursus, Dei essentia, ex hypothesi migrante per discensum localem in cœlum, verificatur oratio illa, quæ Atheismi charactere notatur Ezech. 8. 12. & 9. 9. Dereliquit Dominus terram: quia est hoc antecedens istius consequentis ibidem expressum, Dominus non videt nos.

15. Quod *Deus dicitur alicubi non fuisse*. V. G. (quod ex 1. Reg. 19. 11. 12. 13. urget I. O.) *in Ventis, in Terræ motu, in Igne*, quem persentiscebat Elias, id nullam notat Essentiæ Dei absentiam: neque absentia illa ex visione ejusmodi Prophetæ oblata magis concludi potest, quam ex visione oblata Esai. 6. 2. vere Deo tribui possunt aut debent vestes fimbriatæ.

16. Verum ad locum 1. Reg. 19. 11. 12. 13. pressius respondemus, quamvis id Interpretes negligant: non esse in Hebraica veritate adjectum Verbum

dum substantivum; sed tantum scriptum לא יהוה Non Jehovah: ac consequenter nihil cogere, ut fiat enunciatio secundi adjecti, per quam absolute dicatur Jehova non fuisse in Vento, in Terræmotu, in Igne: æque proclive est facere enuntiationem tertii adjecti, per ellipsin verbi מדבר, hoc pacto, Deus in vento, in Terræ motu, in igne, non fuit loquens. quemadmodum potior videri potest Hebr. 12. 25. verborum τὸν ἀπ' οὐρανῶν interpretatio, juxta versionem utramque Gallicam Genevensium, Qui è cœlis loquitur: quam juxta aliorum versiones, illa, Qui è cœlis est.

17. Quod hic miscetur, de locis spurcis, quasi τὸ ἐν ῥύπῳ aut ἐν ῥύπῳ, non sinant nos de Dei essentia ubique præsente sanctis esse cogitationibus, si quem hoc movet, cogitet ille, non esse hic magnopere de responsione laborandum, cum nullus sit contactus quo Deo se afficiat corpus purum vel impurum. Spiritus enim est Deus Iob. 4. 24. Deinde cogitet, si propter ista jam dicta vacillat Essentiæ Dei omnipræsentia; annon una ruat novimestris Christi θεοτόκου gestatio in Utero, & par-

partus, a quo Purificatione Legali opus erat: denique an ſancte cogitare liceat de unione Deitatis Perſonali, ſine locali à corpore Chriſti non glorificato diſtantia: Atque hoc Anti-Trinitarium virus exiſtimamus latere ſub ſpurca hac objectione.

18. Nodum autem hunc, ſicut etiam alterum de Dei præſentiâ, in ſpeciem abſurda, in igne inferni, ſolvit Eſſentia Dei Spiritualis nec viſibilis nec palpabilis, de qua diſputatione ſequenti.

Disputatio IV.

De
Dei Inviſibilitate.

1. CHriſtus Deum deſcribens nomine Spiritus Joh. 4. 24. πνεῦμα ὁ θεὸς Deus eſt Spiritus; docet eſſentiam Dei ἀσώματον incorpoream & immaterialem; quę extra controverſiam caret craſſa illa compoſitione ex partibus integrantibus, quæ eſt naturæ corporeæ imperfectio, quod habeat partem extra partem, ſua quanti-

tate-

citate mensurabilem & loco circumscriptam.

2. Infinita Spiritus Infiniti Simplicitas, à Dei essentia removet, non tantum palpabilem illam partium integrantium, sed quamcunque vel subtiliorem partium essentialium compositionem: quin & subtilissimam illam, quæ sita est, vel in concretione subjecti & accidentis; vel in coalitione naturæ universalis, quovis tempore possibilis, cum natura particulari, ad actum essentiæ specificum, & existentiam in tempore individuam.

3. Breviter quidquid supponit vel possibilem Deitatis seu Naturæ & Essentiæ Dei multiplicationem; hoc perlmit Scriptura generatim, (suppositâ Dei infinitate & unitate,) Spiritus appellatione: Speciatim autem, & Immensitatis attributo, &, de quo jam dicendum, Invisibilitatis.

4. Invisibilitas Dei docetur testimoniis illis Scripturæ quæ testantur Dei invisibilia & Deum invisibilem. Ro; 1. 20. Exo: 33. 20. & 23. Joh: 1. 18. Col. 1. 15. 1. Tim: 1. 17. &, 6. 16. 1. Joh. 4. 12. Per quæ testimonia damnatur omnis veri Dei vel imaginatio

An-

Anthropomorphitica, vel effigiatio adumbrans substantiam Dei oculis corporeis visibilem. Ro. 1. 23. Esai. 40. 18. 19. 20. & 44. 9. 20.

5. Enimvero per Synecdochen, removetur non tantum unus ille sensus oculorum, sed omnes etiã reliqui sensus animales externi, nec non interni; quorum nulli proportionabilis est Dei essentia, quippe solo intellectu, ab omnibus phantasmatis abstracto, cognoscibilis.

6. Amplius hoc insinuant eadem testimonia illa, Omnem vel maxime perfectã Dei Essentię & attributorum cognitionem quæ in creaturam cadit, minime esse commensuratam infinitæ Dei perfectioni, neque comparabilem illi cognitioni infinitæ, qua solus Deus se ipsum cognoscit.

7. Mennonitæ hic singulariter de Patre accipi volunt testimonia Joh. 4. 24. 1. Tim. 6. 16. & similia, non autem de Filio & Spiritu S. Ac pronunciat J. O. pudendo magis errore, quam est Anthropomorphitarum error, *Deo placuisse Iohanni videndam exhibere Essentiam Spiritus S. in forma Columbæ: non tamen illum semper esse*

simi

similem Columbæ. X. Art: Art: 3. §. 80. 81.

9. De Filii essentia quid idem monstri alat, dicendum in loco de Incarnatione; vel nullam certe credit Divinam Filii essentiam, vel in Carnis Christi forma visibilem, quippe Christo mortuo mortuam.

9. Merentur hæc censuram illam Apostolicam, quam strinxit contra Gentilium Idololatriam Rom. 1. 22. 23. quia mutatur gloria incorruptibilis Dei essentiæ in effformatam imaginem, modo hominis mortalis, mox volucris columbæ.

10. Neque hic elabipotest J. O. pronuncians Essentiam Spiritus S. videndam exhibitam in forma Columbæ. Cui ad locum Luc. 3. 22. quem huc torquet, respondemus, Columbæ εἰδος σωματικὸν non pinxisse ipsam essentiam Spiritus S. quod est absurdum, Sed Innocentiam Christi unctione Spiritus S. Christo obsignatam & confirmatam: juxta illud, Innocentes ut Columbæ Matt: 10. 16. Qui secus hic sentiat, næ is cogetur statuere, vel Spiritus S. ad tempus Trans-substantiationem in columbam; vel saltem corporis columbini cum Spiritu S. unionem hy-

hypostaticam. Utrumque portentosum.

11. At neque Patris Essentiam absolutè Invisibilem categoricè confitentur auctores *Confeß: oppos. Faukelio:* sed Invisibilitatem Essentiæ Patris tantum referunt ad *nostram in hac vita visionem. pag. 44. & 66.*

12. Incidendi hujus erroris nervi, quem, cum *Conr. Vorstio*, hic errant illi Mennonitæ, ille enim asserit futurum ut *externa oculorum quoque inspectione*, qua videamus *Dei Substantiam facie ad faciem* constet *magna futuræ nostræ felicitatis pars:* vide *librum Vorstii de Deo pag. 200. 201. & 257.*

13. Nervorum incisione alia non est opus hic, quam isthoc indicio; erroris istius efficacia *Vorstium* non veteri *Deo etiam corpus adscribere, & Deum dicere corporeum*: Quod frustra satagit palliare latiori Corporis significatione, qua *Spiritum sub Corpore tanquam Speciem sub Genere* comprehendit.

14. Errorem enim de Deo, cumulat errore alio; pronuncians eo pacto, *cum nonnullis veteribus Angelos, &, cum Bodino, etiam Animas humanas, corporeas dici posse.* Perimitur eo pacto revera & finitæ & infinitæ Spiritualis essentiæ

τὸ ἀόρατον, seu invisibilitatis perfectio.

15. Verum destruit quoque eo pacto *Vorstius* suam alteram hypothesin, qua monstrosã asserit futuram elevationem corporum nostrorum in futura vita supra suam naturam: qua fingit ad videndum Deum invisibilem *nos habituros corpora spiritualia, absque carne & ossibus & sanguine.* Quæ quidem assertio perimit resurrectionem carnis.

16. Quod à Johanne dictum obiicitur *Videbimus eum sicuti est.* 1. *Ioh:* 3. 2. non existimamus dictum de Persona Patris: sed de Filio, ac notari singulariter futuram in vita æterna visionem & inspectionem glorioſi corporis Christi: Quam non negamus futuram partem aliquam felicitatis nostræ, qua in æternum satiabitur etiam oculorum desiderium.

17. Indocte, & crassa de natura Angelorum hæresi (ad probandam visionem Essentiæ, per externam oculorum inspectionem) adfertur *Visio Angelorum* qua dicuntur *Dei faciem videre:* Matt. 18. 10. Omnis enim Angelorum visio illa, est Intellectualis contemplatio divinorum attributorum; Et est quamvis nostræ cognitionis modulo

per

perfectior, minime tamen absolute perfecta, aut Dei comprehensiva, cognitio Dei: talis enim in creaturam non cadit.

18. Quod de nobis dictum, *Tunc autem videbimus de facie ad faciem 1. Cor. 13. 12.* item *& videbunt faciem ejus Apoc. 22. 4.* hoc accipiendum de perfectiori in futura, quam in hac vita, cognitionis intellectualis modulo; quando efficiemur ἰσάγγελοι Angelis pares, Luc. 20. 26. Matt: 22. 30.

19. Phrasis illa, *de facie ad faciem*, neque hic, neque quando Moses à Jehova cognitus facie ad faciem Deut, 34. 10. dicitur ipse Deo locutus facie ad faciem Num: 12. 8. aliud quid significat, quam familiare absque internuntio sermonis commercium: quod evidens est ex collatione loci Ex: 33. 11. ubi alloquutio dicitur Mosi facta à Deo facie ad faciem, sicut solet homo loqui ad amicum suum.

20. Breviter ergo, Illis testimoniis quibus Deus dicitur esse Invisibilis, Deum nemo vidisse unquam, nec videre posse, ut qui habitat lucem inaccessam: primum & ex principali scopo docetur, cognitionis Dei intellectualis

lis inſcrutabilis & imperveſtigabilis profunditas Rom: 11.33. Secundario autem, id quod ad literam expreſſum eſt, Dei eſſentia Spiritualis, infinita, nulli externæ oculorum inſpectioni proportionata, nec in ſe, nec imaginis alicujus ſpecie. Deut: 4.12, 15.16. &c.

COROLLARIA.

I.

AN Angeli beati & Sancti ἰσάγγελοι Deum videant aut viſuri ſint unquam, viſione ejuſmodi intellectuali, quæ immediate apprehendat eſſentiam Dei, *Negamus.*

II. An ergo in rigore vera ſit recepta diſtinctio inter Cognitionem Dei Apprehenſivam & Comprehenſivam;

R. ſi quando cum Scholaſticorum vulgo ſic loquantur orthodoxi, hoc volunt, Nullam dari; poſſe in creato Intellectu Cognitionem Dei à priori, ſed tantum à poſteriori.

III. An *Theologia Archetypa* recte vulgo definiatur *cognitio qua Deus cognoſcit ſe ipſum, quæ re ipſa non differt à Dei eſſentia*: *Negamus*: eſt enim non infini-

rus, sed à Deo libere definitus νῦν διδαχῆς, ut imago Dei à Deo creanda in creatura intellectuali. Quæ nisi ut libere decretum & definitum objectum Scitum, à Scientia Dei & Sciente Deo distinguatur, sequetur Euthusiastica naturæ creatæ Deificatio, quæ fingitur per monstrosam Essentiæ divinæ, & Personæ Verbi æterni, participationem.

IV. An *Theologia Animæ Christi in his terris* fuerit æqualis illi cognitioni Dei, quæ *Theologia visionis* dicitur. *Negamus.*

V. An in agonia Christi patientis, per visionem Dei beatificam, immunis ab interiori doloris spiritualis sensu fuerit Anima Christi, affecta tantum per sympathiam seu consensum, à corporis exquisitis doloribus. *Negamus.*

VI. An Beati Angeli & Sancti, videndo Deum in cœlis, videant reliqua in ipso tanquam in Speculo; quæ est Pontificiorum hypothesis in disputatione de Sanctis & Angelis invocandis. *Negamus.*

Disputatio V.

De

Eſſentiæ Dei Immutabilitate.

1. Quandoquidem Teſtimonium illud Johannis, Verbum Caro factum eſt Joh. 1. 14. Anabaptiſtæ nolunt accipere hoc ſenſu Orthodoxo, quod λόγος Carnem aſſumſerit, atque ſibi unierit unione hypoſtatica: ſubvertunt cum attributis Immenſitatis & Inviſibilitatis, etiam Eſſentiæ Dei Immutabilitatem, ac conſequenter veram Æternitatem.

2. Vera & proprie dicta Æternitas, (quæ ſolius Dei eſt per neceſſariam exiſtentiam, quæ ἄναρχος eſt & ἀνάιτιος principium & cauſam non habens:) eſt Duratio Infinita quæ omni termino & Mutatione neceſſario caret: unde dicitur à ſæculo in ſæculum Deus Pſal. 90. 2. Primus & ultimus. Eſai. 44. 6. & 48. 12. Idem permanens, abſque tranſmutatione, & abſque mutationis obumbratione. Jac: 1. 17. Pſal. 102. 27, 28. Heb. 1. 11. 12.

3. Ad Præſentem Diſputationem facit obſervatio neceſſaria, Quod illa omni termino & mutatione carens

æternitas, Jchovæ vero Deo Israelis asserta, antequam Verbum Caro factum est, locis jam indicatis Esai. 44. & 48. & Psal. 102. Christo vindicatur, Apoc: 1. 11. 17. & Heb: 1. 8. 10. Ut credendus sit Christus esse ipse ille Jehovah, Æternus & Immutabilis, essentiæ suæ duratione absolute Infinita.

4. Immutabilitatis autem modus singularis est, verę Deitatis Christi Immortalitas, quæ ponit, cum necessaria existentia divinæ essentiæ, vitam necessario existentem, cum morte minime commutabilem. Hanc docet Scriptura, Deum verum à Diis non Diis discernens indigitamento Fontis vitæ & aquę vivæ. Psal. 36. 10. cum Jer. 2. 13. & Dei viventis Ios. 2. 10. Heb. 10. 31. 1. Tim. 6. 17. & Deus jurans per seipsum hac formula, vivo ego: & Sancti jurantes per ipsum: Vivit Iehovah. Denique Scriptura asserens soli Deo ἀθανασίαν Immortalitatem. 1. Tim. 6. 16.

5. Ab hoc immortalis vitæ fonte in Essentia suæ Deitatis, etiam Christus dicitur ipsa vita æterna, & verus ille vivens Deus, qui mortuis idolis in

Scri-

Scriptura opponitur. 1. Ioh. 1. 4. & 5. 20. Et, nec initium dierum habens nec vitæ finem Heb. 7. 3.

6. Hanc Immutabilem Immortalem Christi Deitatem, per efficaciam erroris, quidquid dissimulent Anabaptistæ in *Confessione oppos. Faukelio*, inficiantur e usdem Confessionis socii: quam Gangrænam, jam post assertam veritatem, fuffecerit indicasse. Anabaptistica itaque æquivocatione interroganti *Faukelio* respondent, sic ut non videant idiotæ profunda Satanæ: *Mansisse in Incarnatione Christum id quod erat, Deum & Dei Filium: sed factum esse id quod non erat, Hominem & Filium Hominis: & mox. Christum in Persona una esse verum Deum & Dei Filium, nec non verum Hominem & Filium hominis*, pag. 99. 100.

7. Tantum verba se dare, produnt ipsi, quando pag. 115. & 116. Negant *hoc pacto Christum hominem factum, ut, in solidum*, in syn geheel, *manserit Filius Dei, sicut fuerat ab æterno, Invisibilis, Impassibilis & Immortalis.*

Deitatem scilicet *seu divinam naturam Christi*, quæ manserit non mutata quando Verbum Caro factum est, de-

ſcribunt *Habitu ſeu Qualitate, Benitatis, Sanctitatis & innocentiæ, in Chriſto exiſtente* pag. 117. 133. 134. & 145.

9. Confeſſionis illius ſocius *I. O.* Categorice *negat, Quando Chriſtus fuit homo mortalis, fuiſſe in ipſo Eſſentiam divinam Inviſibilem & Immortalem. X.* Art. Art. 1. § 24. *Habuiſſe autem* affirmat *Vitam tantum unicam, illam quam poſuit pro ovibus ſuis, quæ etiam fuit vita corporis ejus.* Art. 1. §. 34. 9. §. 24. *Non fuiſſe itaque Patri, aut æqualem aut ſimilem in Eſſentia & forma Art:* 1. §. 31. 9. §. 36.

10. Idem negat in loco illo 1. Tim. 3. 15. ubi Chriſtus dicitur *Deus manifeſtatus in carne, Nomen illud Deus poſſe accipi pro Eſſentia Inviſibili.* Art. 9. §. 52. 53. *Sed Verbum æternum quod Spiritus ante erat, factum* dicit *Viſibile & Palpabile* Art. 9. §. 55.

11. Idololatrice porro aſſerunt: *Secundum illam Deitatem* non Deitatem *Chriſtum omni divino honore dignum; eumque ipſi etiam ab Angelis & Hominibus deberi. Auctores Confeſſ. oppoſ. Faukelio.* pag. 117. & 135. & *I. O. Martham ipſum confeſſam eſſe Viventis Dei Filium ſecundum humanam ipſius eſſentiam: atque hoc facere ad Dei gloriam, ut ipſum ſecundum humanam*

manam essentiam confiteamur Deum & Dei Filium Art:9.§.64. Idem, *Christum se adorandum exhibuisse secundum humanam suâ essentiam: quod secundum humanitatem Deus sit cum Patre. Art. 9.§, 66.*

12. Ex ista hæretica vertigine torquet oraculum Esai: 40.9. 10. Dic civitatibus Jehudæ, ecce Deus vester. Art. 9.§ 73.75. Visus scilicet fuit mutata Deitate Invisibili in Visibilem, Deus Christus in civitatibus Judæ. Atqui detorsionem istam non patitur oraculum illud, Quia veri Dei nomen vere proprium Jehova versu 10. sicut ante v. 3. Christo tribuitur, quod non habet aliam notationem, quam Essentiæ illius Æternæ & Immutabilis per quam Pater ipse Deus est: quod proinde Christo secundum carnem tribui nequit: & omnino non tribueretur si ex Hypothesi tantum unam Carnis Essentiam & Vitam in se haberet. Quapropter visus est Deus in civitatibus Iuda, non in Essentia illa, à qua dicitur Iehovah, mutata in Carnem visibilem, sed per demonstrationem adventus Messiæ in carne visibili, hypostatice unita Essentiæ æternæ immutabiliter invisibili.

13. Ex eadem Fidei Analogia intelligendum illud Θεὸς ἐφανερώθη ἐν σαρκὶ Deus manifestatus est Carne. 1. Tim. 3. 15.

14. Et ἀναλόγως: Quamvis propter unionem hypostaticam, sit quædam etiam Carnis & humanæ naturæ Christi Excellentia illi propria, quæ necessario etiam incurrit & mentibus obversatur quando adoratur Religiose Christus: Non mutavit tamen illa in Novo Testamento Antiquum Adorationis religiosæ Objectum Spirituale ἀσώματον, quod Deum Jehovam salutabant Patres in Veteri Testamento: Neque fecit ullo pacto Carnem seu Humanam essentiam Christi adorabilem aut adorandam.

15. Verum in eo tantum sita est illa Carnis Christi excellentia, quę in Religiosa Christi adoratione mentibus obversatur; Quod in carnis Christi Templo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, & in Carne ut in Templo suo adoranda sit; quamvis non cum carne: Quemadmodum olim in Typo, non Templum cum Deo Israelis, sed Deus Templum inhabitans in Templo adorabatur. Vide Ioh. 2. 21.

2. 21. Coloſ. 2. 9. cum Matt. 23. 21.

16. Quod autem Idololatricæ Adorationi Chriſti ſecundum humanam Eſſentiam, propter *naturam* quam vocant *divinam Bonitatis Sanctitatis & Innocentiæ*, obtenditur, *Chriſtum ſecundum humanitatem* dicendum *Deum & Dei Filium*, falſiſſimum eſt: neque hic largiendum quod imprudenter Theologi Orthodoxi nonnunquam largiuntur: *Chriſtum aliquatenus dictum Filium Dei unigenitum ſecundum humanitatem propter gratiam conceptionis è Spiritu S.*

17. Newini tamen Orthodoxo hoc largienti in mentem venit, quod contra conſenſum Orthodoxum & contra Scripturas pronunciant *Remonſtrantes Apol. cap. 2. fol. 48. Nihil falſius eſſe quam ut unicam tantum Deitatis communicationem Chriſto tribuat Scriptura*, ſcilicet, per æternam generationem.

18. Neque quando cum Melanchthone, Urſino, Ameſio, admittitur Adoratio Filii Dei ſub illo formali qua Mediator eſt; (quæ admittenda eſt, quia imperata Heb. 4. 14. 15. 16.) conſequitur, quod impie pronunciant Remonſtrantes, ut argumentum pro vera Deitate Filii ab Adoratione ejus

imperata plumbeum sit, neque eo amplius pugnandum. Apol: pag. 155. Quia sub quocunque formali, seu quacunque *ratione formali sub quâ*, adoretur Christus, sive ab Angelis quâ Creator, sive ab hominibus quâ Mediator, Unica tantum & constans est in Christo *ratio Formalis, qua* adoratur persona divina & *ratio Formalu, qua seu per quam*, vera æterna & Immutabilis Deitas.

Disputatio VI.

De
Filiatione Christi Divina.

1. Asserenda est in præsens vera Filiatio Christi Divina, à qua est Vere Dei Filius: ut solidius explicetur contra Gangrænam Theologię Anabaptisticæ, & contra quoscunque, Unionis Hypostaticæ in Persona Filii Dei τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀσύγχυτον, mysterium sine mutatione & sine confusione naturarum constans: Præmissis de Persona Patris nonnullis Hypothesibus.

2. Patris nomen Filio correlatum, no-

notione impropria relata ad Creaturas Deo vero tribuitur Esai: 64.8. Jere. 3. 4. Qui saltem concipitur esse Persona intelligens, volens; operans; nec posse esse substantia carens sua subsistentia: sive credatur sive negetur Personarum Trinitas; Et quidem esse Persona, illa ipsa impropria Patris notione, prior omni Persona creata: Absque enim Personalitate non existit naturæ intellectualis substantia.

3. De Nomine autem Patris, in Christiana religione ad Christum ut Dei Filium relato, Fides orthodoxa est: Non esse intelligendum notione ista communi & impropria ad creaturas relata; sed propriâ; ut significans Primam Deitatis Personam; quę sola per æternam ac naturalem divinæ Essentiæ primam communicationem in se Filium unicum genuit.

4. Hac notione propria Christum sibi asserere Deum Patrem πατέρα ἴδιον Patrem proprium, probe intellexerunt Judæi, ac consequenter illum se facere Filium Dei, Patri parem & æqualem: quamvis id improbe acciperent ut blasphemiam. Ioh. 5. 17. 18.

5. Actionem Patris Personalem

ſtatuimus Generationem Filii ſibi æqualis: de qua neceſſario intelligendum eſt oraculum illud, Filius meus es tu, hodie genui te. Pſal: 2. 7. Illa enim alloquutione Paulus aſſerit Chriſto tributum Filii nomen, cum ſupereminentia illa, ut hoc nomine ipſis Angelis excellentior ſit, hæres ac Dominus omnium declaratus, Heb: 1.

6. Filium ſibi æqualem generare non potuit Perſona divina prima, niſi per æternam ac naturalem divinæ eſſentiæ communicationem in ſe: quia quicquid aliud concipi poteſt cogitatione, erit actio ad extra voluntatis libere agentis, ſupponens ad ejus qui Filius dicetur exiſtentiam creationem ex nihilo, cum aliquo temporis initio: atque ſic negata æternitate perimitur æqualitas cum Deo.

7. Aliud ergo à Generatione æterna, & illa poſterius quid, eſt Prædeſtinatio Filii Dei illa de qua Petrus Epiſt. 1. cap. 1. 20. vide Diſp. 11. Theſ. 1. 9. 10.

8. Sanctificatio quoque & miſſio qua Pater Filium ſanctificavit & miſit in mundum Joh: 10. 30. non fundat relationem Patris ad Filium, nec Deita-

tatem Filii. ſed fundatur in illa; atque illam demonſtrat à poſteriori; quia ad munus Mediatorium mitti & ſanctificari non potuit, qui non eſſet coæternus & coeſſentialis Patri mittenti.

9. Nulla eſt itaque Perſonę primę in natura divina Majoritas relata ad Filium, ſed tantum ordinis prioritas: Et omnis illa Majoritas, de qua loquitur Chriſtus, Joh: 14.8. Pater eſt major me; & quam notant loca illa, quæ Patrem dicunt Deum Chriſti Ioh: 20. 17. Caput Chriſti 1. Cor. 11.3. & Filium patri ſubjiciendum, 1. Cor. 15.28. relativa eſt ad naturam humanam à Perſona Filii aſſumptam.

10. Filius itaque Dei, ἀναλόγως, ipſa Filii Dei notione, intelligitur eſſe ſecunda Perſona genita à prima, ut à ſubſiſtentiæ origine, non eſſentiæ cauſa, per æternam ac naturalem eſſentię communicationem primam, qua Pater & Filius unum ſunt; Pater Filio, & Filius Patri immanens & coæqualis.

11. Generationis Filii modus, quo ille à Patre genitus eſt, proprio ſuo charactere, quo in ſe diſtinguitur à proceſſione Spiritus S. arcanus eſt.

ejusque tantum τὸ ὅτι infallibiliter cognoscitur, ex prioritate qua Filius in Trinitate est persona prior persona Spiritus sancti. Quam prioritatem Generationis demonstrat unitas utriusque termini, quia non sunt duo in Trinitate unius Filii genitores, neque unius genitoris duo Filii, sed est unicus filius ἀμήτωρ, à solo non conjugato Patre Unigenitus, Ioh. 1. 14. & 3. 16. Heb. 7. 3.

12. Extra æternam illam, processione Spiritus S. priorem ordine, Generationem, nulla est vera Deitatis cum Filio à Patre communicatio, adeoque nulla vera & propria Filii à Patre Generatio, nulla vera & propria Filiatio, præter illam, à qua dicitur Filii exitus esse ab antiquo à diebus sæculi Mich. 5. 2. ipse ante colles genitus Prov. 8. 22. 23. Extitisse, in principio Ioh. 1. 1. Ante omnia. Coloss. 1. 17. esse primogenitus omnis creaturæ πρωτότοκος πάσης κτίσεως Col: 1. 15. h. e. genitus ante omnem creaturam & creationem, & primogeniti titulo hæres & Dominus omnium Heb. 1. 6.

13. Si largiendum esset, quod absque necessitate ulla imprudenter Orthodo-

thodoxi admittunt, Impropria notione Scripturam etiam appellare Christum Filium Dei secundum naturam humanam: nemini tamen Orthodoxo hoc in mentem venit, illa impropria notione Filiationis intelligendum esse novam Deitatis communicationem, ob quam Christus nove Patrem vocet τὸν ἴδιον πατέρα Patrem Proprium Joh. 5. 18. & ipse novo titulo dicendus fuerit ἀληθῶς vere Filius Matt. 14. 33. & ἴδιος Proprius Filius Ro: 8. 32.

14. Nos asserimus omnem in Scripturis denominationem Filii Dei, esse tantum à vera & propria Christi à Patre generatione æterna, jam asserta: Et nullam esse Deitatis communicationem, neque Filiationem divinam, 1. neq; in Christi productione ex utero Virginis Luc. 2. 32. 35. 2. neque in sanctificatione & missione in mundum Joh. 10. 35. 36. 3. neque in suscitatione ex mortuis, & ex terra veluti ex utero altera eductione in vitam Act. 13. 32. 33. 4. Neque in Collocatione ad dexteram Patris Heb: 1. 4. Sed esse illas totidem demonstrationes & assertiones iteratas unius æternæ generationis, & Deitatis semel per æternam gene-

nerationem Filio communicatæ.

15. Productio quidem ex utero Virginis, per miraculosam Spiritus S. operationem, ne quidem impropria notione, videtur esse aut dici debere Filiatio nova, qua dicitur Christus Filius Dei unigenitus, quia ex illa hypothesi dicendus esset Filius Spiritus S. quod inauditum est & præposterum.

16. Sed neque à Gratia Unionis Personalis facta humanę naturæ Christi in conceptione à Spiritu S. nova exiſtit Christi Filiatio, sed tantum hoc effectum est, ut Persona illa (quamvis denominata Filius hominis à natura nove assumpta, tamen) propter ἀτρέπτως & ἀσυγχύτως unitam naturæ assumptę naturam divinam, ab hac etiam denominetur Filius Dei, ἀτρέπτως.

17. Falsissimum autem est, & perimit, necessaria & immediata consequentia, omnem veram Deitatis communicationem in Generatione Filii æterna: quod hic Remonstrantes affirmant: Deum Patrem Filio suo unigenito Deitatem suam altero modo communicasse per gratiosam divinæ Potestatis ac gloriæ supremę communicationem: atque illo communicationis

nis gratioſæ modo, tanquam Filiatione nova, Chriſtum demum poſt reſurrectionem, & ſeſſionem ad dexteram accepiſſe illud Filii nomen, quo Angelis præſtantior eſt; de quo Apoſtolus Heb: 1. 4. Apol: cap. 2. fol: 48. 49.

18. Aut nulla eſt ante omne temporis initum ab æterno Filiatio Chriſti divina, aut cum Filiatione æterna eſt ab æterno nomen illud, quo Chriſtus Angelis præſtantior eſt, quod Pſal: 2. 7. & Prov. 30. 4. expreſſum eſt: ut nulla in tempore nova Filiatione Chriſto quæſita ſit nominis Filii excellentioris Angelis κληρονομία.

19. Eſt Illuſtris locus ille Heb. 5. 8. καίπερ ὢν υἱὸς. Quamvis eſſet Filius; tamen ex iis quæ paſſus eſt didicit obedientiam: Ex quo diſcimus Chriſtum Filium dici, non in illa Servi forma aſſumpta in qua patiendo obedientiam didicit ac præſtitit Patri: alias ridiculum eſſet Axioma diſcretum, verbis iſtis conceptum & Enunciatum; *Quamvis eſſet Filius*: Si enim Filius dicatur ſecundum humanam naturam, ex hypotheſi, Certe Quâ Filius Deo debet obedientiam. Malach: 1. 6. Jam quandoquidem præter rationem illam

for-

formalem quâ Filius est, & per se Filio inconveniens esse indicatur obedientia: necessario intelligitur Christus Filius Patri coæqualis absque ulla ὑποταγῇ seu subjectione ad obedientiam: quam nec præstitisset nec præstare potuisset, nisi assumpsisset, cum Filius esset, formam servi.

Disputatio VII.

De
Deitate Christi Patientis & Resurgentis.

1. PEr Gangrenam Theologiæ Anabaptisticæ hactenus indicatam, circa Incarnationem Filii Dei, tollitur, & Unionis hypostaticæ, τὸ ἀσύγχυτον καὶ ἄτρεπτον mysterium sine Confusione & Mutatione utriusque naturæ: &, quod ab initio vidimus, unitas Essentiæ veri Dei, ejusque loco substituitur Unitas Voluntatis & Operationis, quod profiteri non veretur §. O. Art: 3. §. 48.

2. Enimvero hic se exserit Spiritus contradictionis, per quem modo ajunt mo-

modo negant homines indocti & inſtabiles. Negata enim Unitate Eſſentiæ Patris & Filii, & negata in Chriſto, cum Monotheletis, alia atque alia Voluntate, Unitas revera nulla eſt Voluntatis, qua Pater & Filius unum ſint: neque illa proprie dicta unitas Identitatis, quam credunt Orthodoxi: neque altera improprie dicta unitas omnimoda volitionis conſentientis in idem: qua ſemper idem voluerint idem noluerint Pater & Filius.

3. Certe ſi non aliam atque aliam in Filio ipſo voluntatem demonſtrari patiuntur Anabaptiſtę, contra Monotheletas; contra ipſos ſaltem demonſtratur, non una ſed alia atque alia voluntas Patris & Filii, ex Joh: 6. 38. Deſcendi è cœlo ut faciam non Voluntatem meam, ſed Voluntatem ejus qui miſit me: & ex Precatione illa Chriſti in Agonia: Veruntamen non mea Voluntas ſed tua fiat Luc: 22.42. Non ut ego volo ſed ut tu vis. Matt: 26.39. Non quod ego velim, ſed quod tu. Marc: 14. 36.

4. Unitas vero Patris & Filii, in divina operatione, qua ſcilicet abſque Eſſentiæ unitate, ſe exſerit unitas Volun-

iuntatis in Gubernatione & sustentatione universi, & in mortuorum excitatione, (à qua secundum sectæ Anabaptistarum Flandricæ hypotheses Filius creditur unus cum Patre Deus:) Interciſa saltem quando Filius mortuus fuit: Non enim potuit cum Deo vivente unus esse ne quidem Operationis unitate, extra Essentiæ divinæ unitatem, Deus ille, ex hypothesi, in essentia sua mortuus.

5. Interciſionem illam Unitatis omnis, ut non fuerit in morte sua Filius unus cum Patre Deus, nec Essentia nec Operatione; evincit eorundem assertio de Christi Resurrectione, *Non excitasse Christum se ipsum ex mortuis. I. O. Art. 10. §. 77. 80. 82. 83.* Et auctores *Confess. oppositæ Faukelio* non verentur pronunciare, contra Fidem orthodoxam, qua creditur Filius operans à Patre ut Patri ὁμοούσιος, Deitatis immortalis robore, corpus suum mortuuum vivificasse, *Se talem Christum in Scriptura descriptum non invenire. pag. 130.*

6. Contradictionis προφασις Prætextus est in illis Scripturæ locis, quę Patri adscribunt Excitationem Chri-

sti

sti ex mortuis: annotant autem Act: 3. 15. & 10. 40. & 2. 24. Rom. 6. 4. Eph. 1. 17. 20. De quibus respondemus: non posse non Patri adscribi operationem illam divinæ omnipotentiæ, siquidem Pater & Filius unum sunt essentia: & similiter non posse non adscribi Filio: Sed interesse ad Fidem Salvificam, ut Patri ascribatur, non sola omnipotentiæ, quæ Filio communis est, communi operatione: sed etiam Personali illa œconomia, qua Filius cum subjectione sub Patre in forma servi ex sequens munus Mediatoris, debuit à Patre damnari in carne pro nobis, & postquã damnationis judicio satisfecit, in justificationis testimonium excitari à mortuis, non potenter tantum, sed jure etiam judicii. Ro. 4. 25. cum Esai. 50. 8.

7. Anabaptistarum autem abnegationi talis Christi, qui Deitatis suæ robore, ipse corpus suum mortuum vivificarit, opponimus ipsius Christi affirmationem Ioh. 2. 19. *Solvite templum hoc, & ego intra triduum illud excitabo*: Quod de corpore Christi excitato in resurrectione ipsius à mortuis intelligendum, & secundum Scripturas creditum,

ditum, dictat Evangelista, vers. 11. 22.

8. Locum hunc *sibi δυσνόητον, intellectu difficilem* profitetur *I. O. Art: 10. §. 78.* scilicet ut illum libere torqueat, homo indoctus & instabilis; quem nec torqueri, nec jam *δυσνόητον* esse patitur commentarius Evangelistæ planus & perspicuus.

9. Obmurmurat ille, *Non esse conveniens Scripturarum analogiæ, ut qui in Templo habitat, & vivus manet, Templo destructo, ipse propter Templi ruinam mortuus dicatur: Art. 10. §. 77.* At nullius momenti hoc est, ac nullo negotio refellitur, ex phraseologia Scripturæ, quæ Hominis mortem, in qua viva manet anima, vocat Tabernaculi depositionem 2. Pet. 1. 14. dissolutionem tabernaculi terrestris hujus domus nostrę. 2. Cor. 5. 1. & quidem hanc ipsam ob causam, quod cum domicilio corporis anima morti non succumbat. Matt. 10. 28. Est ergo manifesta Scripturarum analogia, quam ille temere negat.

10. Altera illius evasio hæc est, *Christi corpus non fuisse Templo externo figuratum, sed Ecclesiam: qua etiam Corpus Christi 1. Cor. 12. 27. & Templum Dei nominatur. 1. Cor. 3. 16. &*

6. 19.

6: 19. Respondemus per retorsionem, Si hoc pacto per Templum figurata est Ecclesia, ut etiam corpora membrorum Ecclesiæ, appellentur ab Apostolo Templa. 1. Cor. 6. 19. Quidni eadem allegoriæ analogia, Corpus suum Templum nominarit, qui Caput est corporis mystici Ecclesiæ? Eph: 1. 22.23. 1. Cor: 12. 12. Et hic homo instabilis sui oblitus videtur, exponens locum Col: 2. 9. in ipso habitat tota plenitudo Deitatis corporaliter, hac paraphrasi, *per Inhabitationem illam in Christo impletas omnes Figuras:* Ergo, velit nolit, Figura quoque habitationis Dei in Templo: Matt: 23. 21. impleta est.

11. Tertia evasio est ex Hos: 6. 7. Vivificabit nos post biduum, & die tertio excitabit nos, ut per ipsum vivamus. Quia scilicet de Ecclesia non de corpore suo loquutus est Christus. Respondemus: ne quidem de Ecclesia, apud Hoseam, promissionem illam, mystice intelligendam, nisi statuatur in ipsa literâ prænunciatum, illud Promissionum omnium τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμήν in resurrectione Christi impletum; absque quo universim de tota Veteris & Novi T.

vi T. Ecclesiæ salute actum fuisset: 1, Cor. 15.

12. Locum jam vindicatum confirmat locus 1. Pet: 3. 18. Mortificatus carne, Vivificatus Spiritu. Ubi Spiritus notat in Filio Dei Essentiam Spiritualem Deitatis: sicut, 1. Tim: 3. 16. Heb: 9. 14.

13. Blasphema sunt quæ hic statuit J. O. Christo moriente in carne Deitatem Christi passam & mortuam esse Art: 4. §. 30. 31. 32. Art; 5. 8. secus sentientes, aït edere verius abnegationem Salvatoris, quam Christianam confessionem: Art: 5. §. 9. Enim vero necesse est ut adoptet ille cum sociis istius Confessionis Judæorum blasphemias in Christum crucifixum istas: Alios servavit servet se ipsum: serva temet ipsum. Luc. 23. 35. 37. Sannis enim istis nihil opponi potest, si mortuus Christus, sicut alios vivificaverat, se ipsum vivificare non potuit.

14. Auctores Confess: Faukelio oppositę Pag: 116. hoc urgeant: nisi per exinanitionem facta sit κατηνὸς Deitas Christi, Nos nequaquam Deo reconciliatos esse per mortem Filii Dei, sed per mortem hominis in eum finem assum-

ſumti à Filio Dei. Atqui contra Scripturas diſputant, quę Deitatem Chriſti patientis advocant non ad paſſionem ex infirmitate, ſed ad ſuſtentationem naturæ patientis, & ut vincere atque eluctari poſſet atque ſe ipſe ex morte in vitam aſſerere, 2. Cor. 13. 4. cum Eſai. 63. 5. Eodem digito Dei, quo ejecerat dæmonia, etiam in morte ſua triumphans illum qui habebat mortis imperium, & ſe ipſe fortiorem demonſtrans forti illo armato. Mat. 12. 28. Luc. 11. 20. cum Heb. 2. 15. & Act. 2. 24.

15. Apoteleſma ergo Redemtionis noſtræ non conſtat ſola paſſione ex infirmitate, ſed etiam glorioſa perpeſſionum victoria: cui interceſſit quidem, reconciliatio per ſanguinem Filii Dei, ſed qui non alio pacto eſt, vel eſſe potuit filii Dei, quam per Unionem ἀσύγχυτον Hypoſtaticam naturæ humanæ cum divina: propter quam Unionem tamen per Communicationem idiomatum vere dicitur non Deitatis quidem, ſed Dei Filii proprius ſanguis: Act. 20. 28. atque eo nomine dicitur τίμιον αἷμα precioſus ſanguis, 1. Pet. 1. 19. cum extra Unionem

illam ſanguis meri hominis nullius foret precii ad Deum conciliandum. Pſal. 49. ℣. 9.

Disputatio VIII.

De
Origine Carnis Chriſti ex Matre

1. Veniendum ad Anabaptiſticæ Theologiæ πρῶτον ψεῦδος, de Origine Carnis Chriſti, quam Orthodoxi Chriſto aſſerunt per naturalem carnis & ſanguinis ex Adamo primo, per matrem Mariam virginem, participationem, & cognationem eo pacto remotam cum univerſo genere humano: propinquam autem cum Judæis: quam univerſim complectitur paſſim in Evangelio frequentata appellatio Filii hominis.

2. Quia hanc Filii hominis appellationem vident Anabaptiſtæ officere ſuę hæreſi, qua humanam ex hominibus originem carnis Chriſti inficiantur; torquent adeo præfracte, ut ſi ipſos audimus, non uno temporis articulo Chriſtus factus ſit Homo, & Filius homi-

hominis: tuetur enim ex ipsis non nemo, fuisse Christum Filium hominis antequam Homo esset. Cuperus. V. Art. §. 146. 1

3. Alius est qui Christum affirmat factum Filium hominis, per Traditionem in mortem. J. O. Art: 8. §. 94. Asseruerat. §. 93. Filium hominis dictum, non quod ex hominibus homo sit, sed quod ex amore hominibus donatus sit. Alter 2. ille, sic ipse se interpretatur: Christum antequam factus est homo, genitum fuisse per fidem, atq; eo pacto fuisse Filium hominum istorum qui faciebant voluntatem Patris cœlestis Manifesta nimis detorsione verborum Christi Marc. 3. 33, 34. 35. quasi illic stabilita sola cum hominibus cognatione, causa regenerationis, omnem cum matre ipsa cognationem secundum carnem ejurarit. 2 3

4. Nos credimus Christum Filium hominis similem cuivis Filio hominis. Apoc. 14. 14. adeoque illa notione dictum Filium hominis, qua Marc: 3. 28. & Eph. 3. 5. dicuntur Filii hominum, homines qui ex hominibus habent carnis suę originem. Quod porro confirmamus, illis Scripturæ testi-

monils quæ Christo afferunt originem carnis & immediatam ex Matre Virgine, & mediatam ex Patribus.

5. Originem Carnis Christi immediatam ex Matre Virgine testantur Scripturæ loca, quę docent Christum esse Semen mulieris. Gen. 3. 15. Factum γενόμενον ex muliere Gal: 4. 4. Ex ea, genitum & natum, γεννώμενον, Luc. 1. 35. ut fuerit vere καρπὸς τῆς κοιλίας Fructus ventris Marię. ibid. 42. quæ certe non sunt obscuritate aliqua involuta, per quam fiant δυσνόητα, sed plana & aperta, ut luce sua discutiant tenebras quas hic offundunt Mennonitæ oggannientes de Spiritualis mulieris Spirituali semine; de Seminis foris illati à Spiritu S. conceptione in corpore Virginis per Fidem: urgentes hic etiam vocem vernaculā Ontfangen/ propter quam scilicet Concipere est Accipere aliunde.

6. Jugulant quoque suam ipsi evasionem de Maria matre Christi Spirituali per Fidem; quando illud Beata quæ credidit Luc. 1. 45. quod Christus ipse secernit à sui in utero Mariæ gestatione Luc. 11. 27. 28. ad illam in utero gestationem advocant, & cum illa miscent.

7.

7. Quod autem universim negant omne Semẽ mulieris, & ἀφιλόσοφον est, contra Medicorum experientiam, & contradicit Scripturæ, quæ Saram divina benedictione fœcundatam asserit accepisse δύναμιν εἰς καταβολὴν σπέρματος; vim ad dejectionem seminis, Heb. 11, 11.

8. Quod porro urgent Christi conceptionem sanctam esse non potuisse, ex Matris carne peccatrice; apud ipsos quidem responsione non egent: quandoquidem Pelagiana hæresi negant nasci infantes cum vera peccati originis hæreditate: secatur autem nodus per Fidem operationis arcanæ Spiritus S. quæ intercessit ut factum esset τὸ γεννώμενον quod ex Maria nasceretur: Luc. 1. 35. Quam nos, salvo aliorum judicio, definiendam censemus, nova creatione animæ Christi perfecte sanctæ per quam ipse factus est caput novæ creaturæ. Rom: 13. 14. Gal: 27. Col: 3. 10. Eph. 4. 24.

9. Loca quæ detorquent pro fructu ventris Mariæ, ejusque vera conceptione obtrudunt, carnem extra uterum Virginis formatam, & foris illatam atque inditam operatione Spiritus S.

sunt illa quæ docent Christum superne è cœlo veniſſe Joh. 3.31.8.23. Eph.4. 9. 10. exiviſſe à Patre. Joh:16.27.28, Eſſe Panem illum qui de cœlo deſcendit: & Dominum è cœlo. Joh. 6.& 1. Cor: 15.47. Dequibus reſpondemus, Chriſti adventum è cœlis, & deſcenſum, non notare originem cœleſtem carnis Chriſti, ſed tantum Perſonæ divinæ exinanitionem, qua ſuppreſſis majeſtatis cœleſtis radiis, in terra in utero Virginis carnem noſtram aſſumſit.

10. Ad locum. 1. Cor: 15.47. peculiariter reſpondemus: Quamvis Antitheſis illa, Primus homo è terra terrenus, aliquo ſchemate videri poſſit flagitare aliam quam terrenam originem carnis Chriſti, tamen falli & fallere Anabaptiſtas, Quia ex collatione verborum illorum Gen:3. 19. Pulvis es & in pulverem reverteris, & ex iis quę anteceſſerunt de Seminatione corporis mortui in terra verſ. 42. 43.44. apparet eſſe in Antitheſi crypſin, qua reticetur, quod maxime urgetur, hoc nimirum τὸ κολάσιν Adami ex terra terreni, poſt ingreſſam cum peccato maledictionem, quod Ipſi revertendum ſit

in

in Terram ex qua factus est: neque ipse â morte & corruptione possit vindicare, & supra primam animalis vitæ conditionem assurgere, quæ caduca & tandem dissolvenda est: Christus contra ut Dominus ipse è cœlo, possit etiam carni suæ supra terrenam ejus originem, & vitam animalem, præstare vitam immortalem à cœlis.

11. Pro vera autem & in Scripturis determinata origine Carnis Christi ex carne matris; Anabaptistę quid definiant nesciunt, unde, ubi, aut quando originem suam acceperit Caro Christi: An in Cœlo, An extra Cœlum, Pronunciant autem alii cum Mennone, Genitam à Patre ex Patris substãtia; & crassius, ex Semine sui cor- 2
poris Menno Apol. cont. Micron fol. 94. 95. Alii ex semine Verbi æterni, 3
Alii ex Spiritu S.

12. Isthac discordia concordi negant cuncti Mennonitæ, Christum esse verum Marię Filium, aut Mariam Christi matrem: Et sunt qui cùm hæresi illa (quam refutavimus Disp. III.) De Dei tantum in cœlis Præsentia essentiali, asserunt Christum habuisse secundum carnem suam Patrem

in cœlis: sed in terris fuisse sine Patre & sine Matre.

13. Cuncti illi Christo ipsi non tantum contradicunt, qui passim se dixit Filium hominis, sed & Scripturæ Euangelicæ quæ Virginem passim vocat Matrem Christi Mat. 1. & 2. &c. Luc. 1. 43. & cap. 2. & Joh. 2. & 19. Act. 1. 14.

COROLLARIA.

AN *quia Iesus ex Maria jam Iosepho maritata id est desponsata, operatione Spiritus S. genitus est: Iesus ad Iosephum pertinuerit, non aliter quam ipsa mater jure matrimonii*, ut quemadmodum Maria vera uxor, ita Iesus esset verus filius Josephi. Affirmat Episcopius Dictatis ἐισαγωγικοῖς *in Matthæi cap. 1. 16. 17.*

Nos negamus: & demonstrabimus disputatione sequenti, Quamvis Origo Carnis Christi ex Matre salva sit; tamen perimi Originem carnis Christi ex Patribus: per Hypotheses, quibus Affirmatio nixa est, sunt autem istæ, *Venter Mariæ & fructus ejus Iosephi erat, etiamsi is nulla ejus opera existat: Deo*

enim

enim licet gravidare uxorem mariti cujuslibet pro arbitrio: cujus proinde filium tanquam Dei donum maritus pro suo habere debet.

II. Blasphema est προφάσεις Pontificiæ Mariolatriæ. Mariam habere in Filium Jesum jus Matris, quo possit ipsi jam in cœlis imperare.

Prosa beatæ Mariæ in Communi sanctorum, ad calcem Missalis Parisiensis 1520. in 8. fol. 75.

O Felix Puerpera, nostra pians scelera. Iure Matris impera Redemptori.

Iacobus de Veragine in Mariali Sermone 17. Edit: Paris: 1503. fol. 10.

Quia igitur est Mater Imperatoris cœlestis, ideo super ipsum maternæ auctoritatis imperium habet, & potest sibi, tanquam Mater Filio, imperare.

III. Injurios in Christum Mediatorem & Idololatricus est Sermo *Bernardi* iste. Per unum virum, & mulierem unam omnia restaurantur. Sufficere poterat Christus, sed nobis bonum non erat esse hominem solum: congruum magis ut adesset nostræ reparationi sexus uterque. Homo Christus Iesus Deus noster ignis consumens est: Quidni vereatur peccator accedere,

ne quemadmodum fluit cera à facie ignis, sic pareat ipse à facie Dei? Opus est Mediatore ad Mediatorem istum: nec alter nobis utilior quam Maria. Quid ad Mariam accedens trepidet humana fragilitas? age gratias ei qui talem tibi mediatricem benignissima miseratione providit, in qua nihil possit esse suspectum.

Operum Bernardi Tomo I. Edit: Hervagianæ Basil. 1552. pag. 309. & 310.

DISPUTATIO IX.

DE *Origine Carnis Christi ex Patribus.*

1. CONfirmant Orthodoxi veram humanam originem carnis Christi, solide, ex Genealogia Christi, & ad Abrahamum deducta, à Matthæo cap: 1. & ad Adamum usque à Luca cap: 3. Quæ demonstratio in præsens asserenda & vindicanda est à Mennonis & Mennonitarum exceptionibus.

2.

2. Mennonis exceptio in *Confess: contra I. à Lasco* ista est: texuisse Euangelistas Genealogiam Christi ex Patribus, *Non causa carnis, sed causa regenerationis.* Atqui hoc nullo schemate dici potest de Luca, qui patres omnes & ex illis Christum censet in primo Adamo, ut in capite & stirpe: Cum in causa regenerationis omnes debuerint censeri in Christo secundo Adamo, ut capite & stirpe illius πατριᾶς seu cognationis, quæ nominatur in cœlis & in terra Eph. 3. 15.

3. Neque Matthæus dici potest genealogiam Christi texuisse causa regenerationis, quamvis initio facto ab Abrahamo Patre credentium: quia in Filiis Abrahæ, & Patribus ex quibus est Christus, recensetur à Matthæo Roboam impius. 2. Chron. 12, 2. Achaz impius. 2. Regi 16. 2. Chron. 28. Esai. 7. 3. Amon, impius 2. Reg. 21. 20. 4. 50. Jakim & Iechonia impii. 2. Reg. 24.

4. Neque negandum Christum secundum carnem ortum ex Patribus etiam impiis; cum affirmet Scriptura habuisse etiam fratres, qui in ipsum non crediderunt, qui consequenter

fratres dicti, non causa regenerationis, sed causa carnis. Ioh. 7. 5.

5. Est autem illi, de causâ non carnis sed regenerationis, contexta genealogia Christi ex Patribus, exceptioni, contraria affirmatio Scripturæ, quæ dictat ex Patribus Christum esse τὸ κατὰ σάρκα secundum carnem. Rom. 2. 5. Excitatumque ex fructu lumborum Davidis τὸ κατὰ σάρκα: Act: 2. 30. Factum ex semine Davidis τὸ κατὰ σάρκα. Ro: 1. 3.

6. Non potest non causa carnis saltem hoc fieri, quod Christus singulariter dicatur ortus ex una, non ex aliis tribubus Israelis: est enim, inquit Apostolus, è tribu Juda exortum esse Dominum nostrum: cujus tribus respectu nihil de Sacerdotio loquutus est Moses. Heb: 7. 14.

7. Neque illud negligendum, quod Iudęi infideles à gratiâ rejecti, & resecti à Christo, in causa regenerationis, tamen dicunturrami naturales κατὰ φύσιν, causa carnis, in arbore naturalis cognationis: præ Gentibus aliis etiam jam Christo per fidem insitis: ut hę dicantur rami παρὰ φύσιν præter naturam Rom. 11. 12. —— 24.

8.

8. Majoris momenti eſt Mennonitarum excecatio altera: *Omnes qui ſatagunt demonſtrare, quod ex Patribus originem carnis ſumpſerit Chriſtus, hoc facere contra id quod ſuper hac re ab Evangeliſtis ſcriptum eſt; quandoquidem Chriſtus non eſt ex Ioſepho, quem proximum Chriſti patrem nominant in Genealogia: ex quo conſequens eſt, neque ex aliis Patribus Chriſtum deſcendiſe. Cuperus. Art. V. §. 198.* Reſpondemus: ſaltem Lucam, Mariæ matris Chriſti genealogiam texuiſſe.

9. Confirmat noſtram aſſertionem, duplex in Genealogia iſta indicium, 1. interjecta parentheſis illa, qua Lucas notat Joſephum putativum tantum Chriſti Patrem fuiſſe Luc: 3. 23. ad quam recte docuit *Clar. Fr; Gomarus ὁ μακαρίτης*., perrinere integrum illud tmema, *ὡς ἐνομίζετο υἱὸς Ιωσὴφ*, hoc ſenſu, Chriſtum (ut exiſtimabatur, ſeu opinione vulgi, filium Joſephi) fuiſſe revera Heli filium h. e. ex Maria filia nepotem: Quod monetur propter alteram apud Matthæum genealogiam ipſius Joſephi, in qua Chriſtiſtus cenſetur legalis per Joſephum nepos Jacobi. Matt: 1. 16.

10. 2. alterum indicium eſt, de-

ductio genealogiæ usque ad primum Adamum; qua deductione opus fuit, ut demonstraretur Christus esse illud primæ mulieri promissum verum semen mulieris.

11. Quamvis autem apud Matthæum genealogia descendat naturaliter ad Iosephum non Mariam, tangit tamen etiam Mariæ, & Christi per Mariam, cum ipso Iosepho, cognationem secundum carnem, non in solo Davide, sed etiam in Zorobabele & Salathiele Matt. 1. 12. cum Luc. 3. 27. Et flagitabat cognationem Mariæ & Iosephi in domo & familia Davidis Lex Num. 36. 8. qua tenebatur unusquisque in sua familia uxorem ducere.

12. Anti Christiano Anabaptistarum errori de Origine carnis Christi hic velificantur qui cum *Spalatensi lib. 6. de Rep. Eccles. cap. 1.* existimant *convinci non posse Mariam Dei param pertinuisse ad domum & familiam David, & ex tribu Iuda ortam esse, sed tantum maritum ejus Iosephum: ac per solum illum Patrem Legalem Christum civiliter & tribum Iuda sortitum esse & stirpem David, Euangelistas itaque Matthæum & Lucam generationem Christe per Ioseph totam absolvisse, ut*

qui

qui fuerit verus & proprius Christi pater quamvis Legalis non naturalis: refelluntur ista ex locis: indicatis Thes. 5. 6. 7. quæ veram flagitant ex patribus, nominatim Davide, originem carnis Christi; quæ, ex hypothesi, nulla erit.

13. Nec minus ex Patribus originem carnis Christi, in tribu Juda & Domo Davidica perimit, sententia, *Episcopii ἀνιχνεύσεως* in *Dictatis in Matthæum*; qua vult *per legem & jus matrimonii, quo vir & uxor una caro & unum corpus censentur; & ratione communi, quia venter & uterus uxoris, venter & uterus mariti est*, (quomodo putat *filios dici fructus ventris & uteri patris:*) *fructū ventris Mariæ Christum quamvis illa non fuerit ex tribu Iuda, tamen necessario cedere marito Mariæ Iosepho, & per Iosephum vindicari tribui Iudæ.*

14. Existimamus perperam dari istas Iosepho vindicias, per legem & jus matrimonii, & rationem illam communem, in fructum illum ventris Mariæ miraculosum, cujus reverentia à matrimonii illa consummatione, qua vir & uxor fiunt caro una & corpus unum, Iosephus abstinuit: Neque sine miraculi offuscatione concedi videtur

hic

hic jus patris veri nominis, Ioſepho & majoribus Ioſephi quæſitum, in Filium uxoris virginis; ubi nullum ejuſmodi jus patris veri nominis ſtatur acquiri marito, in Filium uxoris viduæ, quamvis poſthumum.

15. Abſque iſtis Paradoxis, rectius ſolvitur ſcrupulus qui movetur, quod Eliſabet mater Johannis Baptiſtæ Luc. 1. 5. dicitur fuiſſe ex filiabus Aaron, atque eadem Mariæ matris Chriſti *συγγενὶς* v. 36. hac reſponſione; Quod fuerit Eliſabet, ex Patre quidem Sacerdote, ſed ex matre è tribu Iuda & domo Davidis, conſanguinea Mariæ, quia ex tribu Iuda Sacerdotes, libere ex aliis etiam tribubus uxores ducebant, non adſtrictis Sacerdotum conjugiis ad legem illam indicatam Theſi. 11.

16. Reſpondendum quoque ad Problema illud de Genealogiæ Chriſti ſtirpe prima Adamo: primo: Andici poſſit *Chriſtus fuiſſe in lumbis Adami*, nec tamen peccaſſe in lumbis Adami: Reſpondemus autem, antecedens negari non poſſe, quin imprudenter negetur vera origo carnis Chriſti ex Patribus; Non tamen inde con-

ſe-

ſequens eſſe Chriſtum in lumbis Adami peccaſſe; magis quam conſequens eſt, in objecto benedictionis Melchiſedeci comprehenſum fuiſſe Chriſtum, non minus quam Levi & fratres ejus ex eo quod ſecundum carnem Chriſtus una cum Levi & fratribus ejus fuit in lumbis Abrahami, oriturus ex Juda fratre Levi. Heb. 7. 6.

17. Debuiſſe autem & voluiſſe Chriſtum fieri ſecundum carnem naturali propinqua cognatione ex tribu Juda, confirmat illa Chriſti affirmatio: *Salus ex Iudeis eſt Ioh. 4. 22.*

18. Interim debuiſſe quoque & voluiſſe communiſſima atque univerſali cognatione totius generis humani, trahere originem ex uno Adamo primo, docet Apoſtolus *Heb. 2. 11. Et qui ſanctificantur ex uno ſunt omnes, quam ob cauſam non erubeſcit fratres ipſos vocare.*

19. Quid ſit illud *ex Vno*, explicatur verſu 14. Scilicet ſicut pueri quos dedit ipſi Deus participes ſunt inter ſe carnis & ſanguinis, ipſe quoque ſimiliter eorundem ſcil: carnis & ſanguinis, factus eſt particeps: Non ergo *ex uno Deo* voluit dictum Apoſtolus, quæ eſt *Mennonis* gloſſa, ſed *ex uno*

ſan-

ſanguine, ex quo Deus condidit omne genus humanum. Act. 17. 26.

Disputatio X.

De *Vnione Hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto.*

Mennonitæ auctores *Confeſſionis Faukelio oppoſitæ pag: 100.* Profitentur cum æquivocatione, *Quod Chriſtus in una Perſona ſit Verus Deus & Verus homo*, Inficiantur enim Duarum Naturarum in Chriſto Unionem hypoſtaticam iſtius Confeſſionis ſocii, qui affirmant, *Nos jacturam feciſſe veræ cognitionis de incarnatione Servatoris Ieſu Chriſti; vel nunquam illam habuiſſe: & in ſententia noſtra palliari prætextibus Confeſſionem de duobus in Chriſto filiis. I. O Art: 4. §. 12. 13.*

2. Revera ipſi prætextibus agunt, quando diſtinguunt *Divinam & Humanam in Chriſto naturam. I. O. Aut 4. §. 19. 20.* Interim *negantes vocem Naturæ Chriſto expreſſe in Scriptura tribui*, ut arrodant Confeſſionem Orthodoxam de duabus

bus in Christo naturis. J. O. Art: 4. §. 20.

3. Affirmamus autem omnino expressam in Scriptura vocem Naturæ & quidem ut pet illam Christo vindicatur & vera Deitas, & Vera humanitas. Primo enim ipsorum Mennonitarum Confessione Phrasi illa quę est Gal: 4.8. Christus est φύσει Θεὸς Natura Deus. Voce autem & Phrasi ista significari Deitatis essentiam æternam, confirmavimus Disp: *1. vide l. O. Art. 4. §. 19.* Deinde Vox naturæ Originem carnis Christi tangit, neque ad aliud quid torqueri se patitur Ro: 11. 21. —— 24. *vide disp. 9. Thes: 7.*

4. Minime autem in Christo Filios duos credimus, sed naturas duas unius Filii, à quarum altera Filius Dei, ab altera Filius hominis denominatur idem Christus. Atque hic jure damnata est à Patribus hęresis *Nestorii.*

5. Monstrosa est Mennonitarum hypothesis, *Christum à Patre bis genitum, bis à Patre processisse*: Esse tamen in Christo *unicam tantùm essentiam unicam vitam*: Ex isthac enim hypothesi coaluit monstrose in Christi incarnatione fœtus gemellus, essentiâ & vitâ prioris ex-

exſtincta, quando cœpit eſſentia vitæ alterius. Atque ſic bis vivere deſiit Chriſtus, non tantum quando in cruce mortuus eſt; ſed etiam quando caro factus eſt. Apage idolum iſtud Mennoniticum, bis mortuum.

6. Nos unionem hypoſtaticam credimus naturarum duarū in Perſona una: & ex ea Naturarum κοινωνίαν ſeu communionem, per quam commune eſt utriuſq; naturæ in functionibus Officiorum, & unum ἀποτέλεσμα ſeu opus perfectum θεανδρικὸν, quia operatur Θεάνθρωπος, qui & Deus ipſe eſt ab æterno vivens, & Homo qui humanæ vitæ cum natura humana initium habuit in tempore, & à mortuis revixit.

7. Naturarum a. illam κοινωνίαν, cum antiquitate Orthodoxa credimus ἀσύγχυτον; contra veteres hæreticos Eutychen & Monophyſitas, Monotheletas, Acephalos, & hodiernos Anabaptiſtas Mennonitas, nec non Swenefeldium, & Ubiquitarios. Ut in una Chriſti Perſona ſit abſque confuſione naturarum aut proprietatum, vel transfuſione attributorum divinorum in carnem ſeu naturam humanam,)

nam,) ἄλλο καὶ ἄλλο Aliud atque aliud: quod paulo fusius confirmandum.

9. De alia quidem atque alia natura probatio evidens est ex Thesi 111. De alia atque Alia voluntate, (suppositā Voluntatis divinæ Patris & Filii unitate & Identitate) demonstratio manifesta est ex Ioh. 6. 38. & Luc. 22. 42. Matt. 26. 39. Marc. 14. 36.

9. Aliam atque aliam Scientiam, (suppositā divina Filii Omniscientia) demonstrat, quod dicitur Christus profeciſſe Sapientia Luc: 2. 52. item nescivisse diem ultimi judicii. Marc: 13. 32. Ista enim vera esse nequeunt, si communicata fuit carni Christi Divina sapientia & Omniscientia infinita & independens ab institutione aut testimonio alterius. Joh: 2. 24. 25.

10. Aliam atque aliam Præsentiam in cœlo & in terris (suppositā Divina Omnipræsentia per Immensitatem) demonstrant loca illa, quæ sic docent, veram ex sepulcro resurrectionem ut à resurrectione non fuerit amplius in sepulcro Marc. 16. 6. & veram in cœlos ascensionem, per quam non est jam in terra. Si esset in terra ne Sacerdos quidem esset. Heb. 8. 4.

11.

11. Aliam atque aliam Potentiam & robur demonstrant (supposita divina Omnipotentia qua potest sibi subjicere omnia Phil. 3. 21. & qua, ut unum cum Patre non potest subjici Patri) Infirmitas ex qua crucifixus est 2. Cor. 13. 4. Tristitia vehemens & ἀδημονία. Matt. 26. 27. Marc. 14. 33. propter quam visus est ei Angelus è cœlo ἐνισχύων αὐτὸν corroborans ipsum. Luc. 22. 43. Et ante illum extremum ἀγωνία, in corpore fames Matt. 4. 2. Luc. 4. 2. sitis ex lassitudine. Joh. 4. 6. & 19. 28. Lacrymæ Luc. 19. 41. Joh. 11. 35. Heb. 5. 7. sudor sanguinis Luc. 22. 44.

12. In ipsa autem glorificatione cœlesti, quamvis mutatis & abolitis infirmitatibus illis: tamen etiamnum manet αὐτοκαθ' αὑτὸ sine proprietatum naturalium & essentialium carnis Christi abolitione: quod demonstrat, Caro etiam post resurrectionem visibilis & palpabilis. Luc. 24. 39. Joh. 20. 27. 1. Joh. 1. 2. & visibilis in carne Christi ut ascensio in cœlum sic adventus ad judicium. Act. 1. 9. 10. 11.

13. Similiter etiam post extremum judicium aliam in Christo à forma Dei,

Dei, formam ſervi manſuram in æternum demonſtrat quod ipſe Filius ſubjicietur ei, qui ſubjecit ipſi omnia ut Deus ſit omnia in omnibus 1. Cor. 15. 28. Nulla enim eſt aut eſſe poteſt in forma Dei ſubjectio naturæ Omnipotentis ſub Omnipotente.

14. In Officiorum Chriſti Incarnati Functionibus & Actionibus adhibita in Scripturis denominatio Hominis aut Filii hominis, conſignificat cum veritate humanæ naturæ formam ſervi ad functionem officiorum aſſumptam. Verum denominatio Filii Dei, nullam habet ſignificationem officii, aut muneris mandati: ſed adhibetur illa emphaſi, quam notavimus Diſput. VI. Theſi. 19. ex Heb. 5. 8. q. d. καίπερ ὢν υἱὸς, Quamvis eſſet Filius; ut intelligatur Gratia Chriſti qua ſe exinanivit libere ad Officiorum functiones, ipſe Filius Patri æqualis hæres omnium.

15. Ad Officiorum autem Chriſti functionem publicam cum auctoritate, præſtitutus temporis & ætatis Chriſti articulus, annus circiter triceſimus Luc. 3. 23. Quamvis exſpectarit ἀκμὴν etiam humanæ ſapientiæ Chriſti, luc-

Ta-

cessivo ejus incremento. Luc. 2. 52. Tamen per Unionem hypostaticam Persona divina, naturam humanam assumptam imbuit illa dignitate & axiomate: ut etiam infans salutandus fuerit & adorandus Magister & Rex ac Sacerdos summus, ipso Messiæ & Christi nomine, utpote ad Officiorum istorum functionem conceptus & natus. Ioh. 18. 37. Matt: 2. 2.

16. Propter duarum naturarum Unionem hypostaticam Christus, in Muneris Mediatorii functionibus idem est Salutis & bonorum, quę per ipsum obtinemus, & causa ministra atque instrumentalis, per quam credimus in Deum aut Deum colimus atque adoramus: & primum efficiens, seu primus & supremus auctor omnis boni & salutis, ipse colendus atque adorandus.

17. In officio Prophetico, Christus idem erat Verbi prędicati nec non & miraculorum, Minister & Auctor: ut Minister Verbi & miraculorum, adstrictus ad Legem Scriptam, πιστὸς, Ioh: 5. 31. Apoc: 1. 5. & 3. 14. Ut ipse Verbi auctor, αὐτόπιστος. Ioh: 8. 14. cum 1. Ioh: 5. 7.

18. Id sacerdotum functione, quando

do Immolatus est, ipse Sacerdos offerens & idem victima oblata Heb: 9. 14. 26. Intercessione autem jam fungens; idem qui per humanæ commiserationis viscera orat pro nobis Patrem; & qui adoratur, & invocatur ut bonorum quæ per ipsum postulamus, Collator à Patre per Spiritum S. Heb: 4. 14. 15. 16. qui in se ipse pro & humanam naturam ad orandum pro nobis excitat revelatione divina nostrarum necessitatum: & efficaciam exauditionis præstat, divina omnipotentia.

19. Regnum Christi quod Essentiale vocant Theologi, quod commune habet cum Patre & Spiritu S. & Regnum Christi Personale quod vocant Mediatorium; si Majestas Regni spectetur: non est in Christo aliud atq; aliud Majestatis fastigium; sed est unica illa divina Potentiæ & Potestatis omnis plenitudo, qua sibi potest subjicere omnia Matt: 28. 18. Phil: 2. 9. 10. 11. & 3. 21. cum Rò: 14. 11. & Esai: 45. 32.

20. Regnum Christi Mediatorium Personale, distinguit in Regno communi Patris & Spiritus S. in Gratiæ salutiferæ dispensatione efficaci divina,

ab efficacitate operationis, Personale jus illud filio Dei quæsitum, quo communis etiam gubernatio rerum omnium ordinatur ad Ecclesiæ saltem 1. Cor: 3. 21, 22. 23. Rom: 8, 28. cum Eph: 1. 22. 23. & Heb: 1. 14. Et notat Regnum Christi à Sacerdotio individuum, usque ad finem sæculi.

Disputatio XI.

De Syncretismo Anabaptistarum circa Originem Carnis Christi.

Convicti Anabaptistarum Doctores de Theologiæ suæ gangræna, hactenus detecta, cum Antidoto sanorum sermonum Dei, in Controversia de Origine Carnis Christi: cum de Palinodia cogitandum esset, quam urgere debuissent, qui ex ipsis saniores sunt: Molitl sunt Syncretismum, quinque Articulorum Synodo Amsterodami celebrata circa annum 1613. Articulus primus ist: est,

Non interesse ad Salutem aut Damnationem notitiam Originis Carnis Christi;

ve-

verum de eo sufficere ad salutem, Confessionem simplicem, secundum Confessiones fidelium nobis propositas in S. Scriptura: & amice ac Christiane tolerandos, qui vel sublimius vel humilius quid super illa re sentiunt. Auctor istius syncretismi olim *Socinus contra Palaologum part: 1. cap. 1. pag. 2.* Fautores ex Remonstrantibus, *Poppius Angusta Porta pag: 348. item. 383. 384. Episcopius in Dictatis privatis in 1. Ioh. 4. 2. 3. Si quis*, inquit *Episcopius, Iesum Christum esse hominem natum confiteretur, interim modum nativitatis ejus nesciret, & non tradaret: aut in eo, erraret, non ideo statim ejus doctrina tanquam non divina rejicienda est: & mox, Idem etiam Judicium esto de Divinitatis Christi opinione, & de ipsius humana natura cum divina Unione Personali.*

Nos Syncretismum illum & Mutuam Tolerantiam asserimus esse contra Scripturę oracula.

1 Verbis Christi Joh: 17. 3. *Hæc est Vita æterna* Cognitionem Jesu Christi à Patre missi, necessariam statui ad salutem, nemo est qui inficiari possit. Missi autem Christi Iesu cognitio nulla est secundum Scripturas, nisi cognoscatur, missus in similitudinem carnis peccati, & factus ex muliere. Rom: 8. 3. Gal: 4. 4.

2. Ratio quam contra urget *Episcopius*. *Quia cognitio modi nativitatis Christi neque finis est, neque medium, quo quis ad finem videlicet mandatorum ejus observationem adducitur. Potest enim*, inquit, *quis verè Deum colere & Christo obedire, licet hujus rei ignarus sit, imo perperam in ea sentiat*: Ratio inquam ista refellitur, affirmatione Apostoli ista: Sine controversia magnum est Pietatis mysterium, Deus manifestatus est in Carne. 1. *Tim.* 3, 16.

3. Ad damnationem autem interesse hic Heterodoxiam; contestatio manifesta est Ioh. Apost.: *Quicunq; Spiritus non confitetur Iesum Christum in carnē venisse, ex Deo nō est, sed hic est Spiritus ille AntiChristi. 1. Ioh. 4. 3.* vel, si lubet sequi Vulgatā Latinā lectionem, *Omnis Spiritus qui solvit Iesum ex Deo non est*; quia olim in antiquis Græcis exemplaribus lectum sic tradit *Socrates Historiæ Ecclesi lib: 7. cap: 31.* ὅτι πᾶν πνεῦμα ὃ λύει τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ τοῦ Θεοῦ ἔστιν. Ex qua lectione Veteres Unionem Personalem asserebant contra *Nestorium*, illamque alteratam ipsi imputabant.

4. Quod eodem loco addit *Socrates Nestorium illum hominem imperitum fuisse*,

se, arripit *Episcopius*, inquiens, *Quod ut credam facile adducor, eo quod locum hunc (si verum est quod dicitur) sibi obstare putabat: cum Solvere Iesum nihil aliud hoc loco esset, quam non confiteri, negare Christum: An non Solvere Mosem est negare Mosem eumque rejicere? &c.* Non facilè adducor ut credam Episcopium imperitum: imperitè tamen videtur illam facere Scripturæ phrasin *Solvere Mosem*: quæ nusquam exstat. Exstat tantum *Solvere legem Mosis. Joh. 7. 23.* In recepta autem Lectione Græcorum, exemplarium, Benè habet quod *Episcopius Participium* ἐλήλυθὼς *non diffitetur accipi posse pro Infinitivo Venisse*, collatione loci 1. Joh. 3. 17. *& nullus dubitet etiam* ἐν *pro* εἰς *accipi nonnunquam, & necessario sic accipi Joh. 5. 4.* Quod etiam profiteatur *se credere Christum naturam vere humanam eandem nobiscum specie habuisse*, nec non *credere æternam Christi præexistentiam, & ipsius divinæ cum humana Unionem personalem.* Cui bono ergo censet *Confessionem istam Christum in carnem vel in carne venisse hoc loco intelligi non posse?* Cui bono dictavit ista? *Interim tamen subtilitatem illorum non approbo, qui ex Verbo venire Naturæ Christi divinæ præexistentiam:*

& pro inde ex Venire in carnem, Naturæ ipsius divinæ cum humana unionem Personalem concludunt, cum nec in textu diserte dicatur Christum venisse in carnem: nec, si diceretur, probari hinc illud posset: & mox. *Deinde si quid ex hoc loco concludi possit, ad summum erit ipsius Christi præexistentia: (ut hanc etiam Arius fatebatur qui statuebat Christum omnium creaturarum primam creaturam fuisse.)* Siccine tolerabilior ipsi Arianæ hæresios ex loco Scripturæ demonstratio, quam Fidei etiam suæ confirmatio? Næ ille veritatem amare minime videtur qui ex veris præmissis falsum potius, quam verum censet concludendum.

6. Munienda nobis Fidei Orthodoxæ cum Veritate Necessitas, Rationibus ex Scriptura deductis: quarum prima esto: connexio necessaria Veritatis de Origine Carnis Christi ex muliere, cum Fundamento Euangelii de Gratia Christi Salvifica: quod est, Christi ut Sponsoris nostri pro nobis substitutio, qua factus est sub Lege: Quam connexionem necessariam dictat Paulus *Gal. 4. 4. Factum ex muliere, Factum sub Lege.* Esse autem hoc Fundamentum Gratiæ Christi Salvificæ &

ver-

verba ſequentia demonſtrant verſ: 5. Ut eos qui ſub Lege erant redimeret, ut adoptionem acciperemus: & locus illuſtris 2. Cor: 8. 9. Ubi Cognitionem Gratiæ Chriſti, Paulus deſinit Cognitione non exaltationis, ſed exinanitionis Chriſti, quâ propter nos pauper factus eſt cum eſſet dives. *Vide diſput: Selectam noſtram III.*

7. Altera demonſtratio ex Scriptura eſto, Quia neceſſaria eſt fuga Idololatriæ, & excluduntur Idololatræ ab hęreditate regni cœlorum. 1. Cor: 6. 10. 1. Joh. 5. 21. Idololatriam autem committunt, qui juxta Creatorem creaturam adorant, & Gloriam Dei Carni tribuunt, ac religioſe colunt quod non eſt natura Deus. Ro: 1. 23. 25. & Gal: 4. 8. cum Jere: 17. 5. Neque ab idololatria libera eſt illorum Adoratio, qui Adorant quod neſciunt. Joh: 4. 22. Neceſſaria ergo eſt, Cognitio Veræ Deitatis Chriſti diſtinctæ à Carne Chriſti, ut Templo, in quo Deitas habitat, & conſequenter cognitio Unionis Hypoſtaticę ἀσυγχύτως factę quando *Verbum Caro factum eſt*: Quia non poſſunt effugere Idololatriæ Categoriam, qui ipſam Carnem Chriſti

Adorant,] vel ſolam vel [juxta Deitatem: fingentes vel Chriſtum nudum hominem, Vel Θεὸν Θρωπον, ſed etiam quâ parte homo eſt, ſub illo Formali Quâ Mediator eſt Adorabilem & Adorandum: Sub quo Formali, ſola à nobis Deitas Chriſti & Deus Filius ὁμοούσιος Patri & Spiritui S. adoratur & colitur, cultu religioſo, *Vide Diſput: Selectam noſtram II.*

8. Vindicandus jam locus Apoſtoli qui Syncretiſmo prætexitur Auctore *Socino:* Eſt autem iſte. 2. Cor: 5. 16. *Quod ſi etiam novimus ſecundum carnem Chriſtum; nunc tamen non amplius novimus (ſecundum carnem)* Scilicet Cognitio originis carnis Chriſti ſi *Socinum, Anabaptiſtas,* & *Remonſtrantes* audimus, *reſpicit Chriſti cognitionem ſecundum carnem, ejusque inquiſitio proprie carnalium Iudæorum & eorum qui eis ſimiles ſunt cenſenda eſt.* Quod negamus ex verbis Pauli extorqueri poſſe.

9. Non eſt idem hoc loco κατὰ σάρκα ſecundum carnem, quod τὸ κατὰ σάρκα Act. 2. 30. Rom. 19. 5. neque eſt προσδιορισμὸς adjectus Chriſto, in enunciatione Apoſtoli; ſed adjicitur noſtræ cognitioni; atque illa dicitur κατὰ σάρκα.

σαρκα cognitio Christi, quæ constat carnali vel oculorum visione, vel consanguinitate, qua beatos se prædicaverunt, vel ab aliis prædicabantur, qui Christum incarnatum, maxime post resurrectionem viderant vel palpaverant: vel beatiores Gentibus existimabantnt Judæi ut rami naturales. Cui glorationi, ut temporariæ & minime solidæ, non autem cognitioni Fidei de Originis Christi nuncium mittit Apostolus. Commentarium itaque verum suppeditant. loca Ioh. 20. 29 & 1. Pet. 1.8. & 1. Cor. 9. 1. Gal. 2. 15. cum 2. Cor. 12. 2. & Phil. 3. 3.

10. Cognoscere ergo κατὰ σάρκα Christum: est Christum cognoscere σαρκικῶς Carnaliter, cognitione ejusmodi, quæ si destituatur Salvifica cognitioe Spirituali, per se vel oculos tantum exteriori inspectione, vel animum tantum temporaria & communi cum impiis gloriatione pascit & oblectat. Quomodo dici possunt etiam impii κατὰ σάρκα cognoscere, Deum aut Christum qui in mysteriis quibuscunque spiritualibus, peccant hæresi illa quam interopera carnis recenset Apostolus Gal. 5. 20.

DISPUTATIO I.
DE
Spirituali natura Fœderis Dei in genere.

1. VIam muniemus prima hac Disputatione sequentibus, in quibus persequemur cum bono Deo, Gangrænam Theologiæ Anabaptisticæ in doctrina de Fœdere Dei cum homine, primo Legali, deinde Euangelico: Hac disquisitione præmissa ad Fœderis Dei cum homine naturam ingenere: possitne homo Deo concilari Fœdere, tali quod minime sit Spirituale; sed tantùm hominem Animalem attingat, ac spem faciat vitę tantum animalis beatæ.

2. Anabaptistarum Doctor *V. L.* libro cui titulus est *Defensio ex Scriptura divina*, approbatus à *Carolo van Mander. 1588.* Asserit *Ne quidem in Fœdere Dei cum Abrahamo Gen. 17. Spiritualiter accipiendum esse Mandatum Dei.* Item: *In universo negotio cultus exterioris, populi Iudaici, Circumcisione, Paschate, aliisque mandatis Cæremonalibus; Deum non flagitasse ab ipsis quicquam præter exteriora illa, neque verbo attigisse, cordis purificationem,*

vel

vel quod conscientiam tangat: Quin, *minime licere mandatis istis connectere, spiritualem διάνοιαν*. Quidnam aliud, interrogat auctor, *tempore illo postulabatur à Sacerdotibus quam bene conformatum corpus, & res externæ? part. 1. pag. 48. & part. 3. pag. 22. 23. 27.*

3. Eadem *Defensione, parte 3. pag. 22. 23. 24.* statuit idem, istas de Fœderis Promissionibus hypotheses. *In Veteri Fœdere, nullam esse Promessionem rerum Spiritualium: Nec fas esse Promissiones interpretari de aliis rebus, quam temporalibus: quæ umbra tantum erant venturorum bonorum. Neque pœnæ in Veteri Fœdere comminationem, ita intelligendam esse, quasi Dominus Deus loquutus sit, de non obtinenda hæreditate Regni Cœlorum.*

4. Differemus in sequentes Disputationes Examen Historicum Oeconomiæ Fœderis Veteris cum Abrahamo, & Abrahami posteris: Hoc in præsens agemus ut liqueat, Contradictionem implicare Assertiones istas, cum Fœdere, quod Religionis causa Deus unquam cum homine pepigit, aut jam, aut olim à prima hominis Creatione.

5. Primo quidem argumentamur ex

loco Apostoli 1. Cor. 6. 17, Qui agglutinatur Domino unus Spiritus est. cum quo conjungimus alterum Ioh. 4. 24. Deus est Spiritus, & qui adorant eum, oportet ut in Spiriru ac veritate adorent: Ex quibus locis hæc efficitur demonstratio: Propter Essentiæ Dei æternæ & immutabilis naturam Spiritualem; esse hoc juris æterni & immutabilis apud Deum: ut qui non sunt ἄθεοι Dei expertes in mundo; Deo agglutinentur Fœderis Spiritualis vinculo, ad Deum spirituali adoratione colendum.

6. Alterum argumentum petimus ex Hominis ad Imaginem Dei Creatione: quæ ultra hominis ψυχικῆ seu Animalis creationem, qua factus est Animal Rationale, dicit principia insita Supernaturalis spiritualis Θεόγνωσίας & Θεοσεβείας seu Cognitionis & cultus Dei, quæ in lapsu amissa in Regeneratione restauantur. Colos. 3. 10. Eph. 4. 14. Sine quibus quamvis possit esse & sit in homine usus rationis, nulla tamen est, in relatione ad Deum qui Spiritus est infinite sanctus, λογικὴ λατρεία seu cultus rationalis. Ro. 12. 1. 7. III. Speciatim autem de Man-

da-

datis Dei in lege Veteri quæ νόμος ἐντολῆς σαρκικῆς vocatur seu Lex carnalis mandati, respectu corticis exterioris, & σωματικῆς γυμνασίας, corporalis exercitationis Heb. 7. 16. sufficit vel unus Apostoli locus Ro. 7. 14. Οἴδαμεν γὰρ ὁ νόμος πνευματικός ἐστιν. Novimus quod Lex Spiritualis sit. Hoc enim efficitur: fuisse præter ista rituum mandata carnalia, etiam in Veteri Fœdere, Legem Spiritualem, secundum quam Deus cultum & adorationem in Spiritu flagitavit, cum carnalis concupiscentiæ abnegatione.

8. Accedit nubes testimoniorum quibus testatur Scriptura, nec ritus Veteres externos, nec quæ in illis occupabatur σωματικὴν γυμνασίαν corporis exercitationem seu fatigationem, unquam per se, absque fid. & spirituali obedientia Fidei, Deo placuisse. 1. Sam. 15. 22. Psal. 50. 13. & 51. 18. Isai. 1. 11. 14. Iere. 6. 20. & 7. 21. Amos. 5. 21. 22. Mich. 6. 6. 7. 8.

9. Ea propter Pietatem Corporali exercitationi Paulus contradistinguit: ut absque Pietate, illa ne quidem hujus Vitæ promissiones aut jure merito, aut ex Fœdere sibi possit vindicare. 1.

Tim. 4. 8. Adeoque ad Religionem, quacunque temporis Periodo institutam, & quibuscunque rituum mandatis vestitam, applicandum illud Apostoli 1. Tim. 1. 5. Finis mandati est Charitas ex puro corde & conscientia bona, & fide non simulata.

10. IV. Alterum caput Fœderis quod attinet, videlicet Promissiones & Comminationes divinas: De Promissionibus quidem Mosaicis dicemus alio loco: Hic generatim asserimus Promissiones Fœderi divino convenientes, non posse esse vitæ præsentis, absque promissionibus vitæ futuræ: Et quidem principaliter & primo facere ad τὴν διαθήκην Promissionem vitæ futuræ gloriosæ æternæ in cœlis, Vitę autem prȩsentis benedictiones tantum esse Fœderis principalis accessionem, τῆς διαθήκης παρεπιθήκην. 1. Tim. 4. 1. Matt. 6. 33. Joh. 6, 27.

11. Consequenter Comminationes quoque divinę, in conventione Fœderis prima, Mortis appellatione adhibita conceptæ: complectuntur, & Vitę animalis, ex animæ à corpore separatione privationem, significatione propria; & unà sequuturam in morte pri-

privationem æternæ gloriæ ac lætitiæ cœleſtis, cum ſenſu cruciatuum infernalium, quæ mors ſecunda dicitur Apoc. 2. 11. 20. 6. 14. 21. 8. cum Matt. 10. 28.

12. Non eſſe itaque demum cum nova Euangelica Fœderis œconomia, novam Promiſſionem vitæ cœleſtis æternæ, ſed Antiquiſſimam in primo etiam ante lapſum Fœdere: non firmamus vel hoc uno argumento. Quia promiſſiones quotquot exſtant Legales de danda operanti & imputanda ex debito mercede vitæ æternæ (exſtant autem Levit. 18. 5: Rom. 5. Eccl. 3. 12. Matt. 12. 16. Marc. 10. 17. Luc. 10. 15. Rom. 7. 4.) ſi non primo illo fœdere cum Adamo ante lapſum, datæ fuerunt, atque addictæ; nullum unquam Fœdus iſtis promiſſionibus ſancitum eſt. Quandoquidem poſt lapſum non eſt data Lex quæ poſſit vivificare. Gal. 3. 21.

13. Ne ergo ſecundum promiſſiones illas Theologia Legalis, teſtimoniis illis concepta, ſtatuatur eſſe Ens fictum ac ſemper olim & jam impoſſibile; neceſſario revocandæ ſunt illæ ad Theologiam originalem Adamo an-

ante lapsum re integra traditam & insitam super naturali revelatione; per Mosem autem, ex Veteri cum Adamo fœdereoperum, postliminio œconomice repetitam.

14. Historiam autem antiquissimæ ante lapsum promissionis de vita æterna cœlesti eruimus, ex mysterio Arboris vitę in medio Paradisi, eique expresse attributa per loquutionem Sacramentalem, efficacia ad vitam æternam, Gen. 2. 9. cum 3. 22.

15. Sacramentalem fuisse loquutionem, non Physicam, de viribus arbori insitis, ac consequenter revocandam ad Verbum supernaturaliter factum de Vita supernaturali cœlesti, demonstrat collatio locorum Luc. 23. 43. & 2. Cor 12. 2. 4. & Apoc. 2. 7. ex quibus discitur Rem significatam & adumbratam, atque Adamo, Legali conventione Fœderis promissam, sed qua ipse excidit suo lapsu: Fuisse illam quam Christus nobis quæsivit per Legis perfectam obedientiam? mansion m in Cœlo æternam, & beatam fruitionem vitæ cœlestis.

16. Quamvis sint qui oscitanter hic existiment, factam fuisse Adamo pro-

promissionem vitæ æternæ non Spiritualis in cælo degendæ, sed tantum Animalis in Paradiso degendæ: minime tamen hęc arma abjicienda felicitur contra Anabaptistas & Socinianos disputaturis.

17. Quin ipsi illi refutantur sua illa hypothesi quam accipimus lubentes: *Federalem quamcunque promissionem, quæ habet restipulationem officii, tantam esse ut illam non possis imputare Amori illi, qui naturalis est proprietas in Deo: ex quo suapte natura inclinat ad remunerationem aliquam debiti à creatura officii, sed superabundanti, liberrime tantam compensationem decernenti supra exspectationem.*

18. Hinc argumentamur, necessaria consequentia perimi omnem Fœderis naturam, si tollitur promissio vitæ ęternæ cœlestis. Quia altera vitæ Animalis æternæ in Paradiso degendæ promissione, nulla est liberalis compensatio obedientiæ Adami, supra exspectationem, & supra id quod Amori Dei ἀμεταμελήτῳ erga creaturam ἀμεταμελήτως ex hypothesi in officio perseverantem, imputasset Adamus. *Vide Disput. nostram selectam III. De Christo Novo Legislatore: Thes. 9. 10. 11.*

DIS-

Disputatio II.

De *Creatione Hominis ad Dei Imaginem.*

1. Foedus Dei cum homine Spirituale, sancitum promissione vitæ spiritualis cœlestis, quale jam asseruimus superiori disputatione, demonstrat necessaria consequentia, originalem hominis Creationem ad Dei Imaginem: & demonstrationem confirmat à contrario Gangræna Theologiæ Anabaptisticæ ista, quod hic quoque apud ipsos sit μοδὲν ὑγιὲς nihil sani.

2. Æquivocationibus ludunt in lingua vernacula: attamen suo indicio se produnt, quomodo admittant phrasin hic receptam, scilicet *Ad Imaginem Dei creatos Adamum & Evam* si dixerint: intelligunt, *Finem ad quem Adam & Eva creati erant, fuisse expressionem Imaginis Dei. Confessione opposita Faukelio: pag: 75.*

3. An ergo intelligunt in ipsa Creatione à Creatore impressam imaginem Cognitionis Dei, & verę Justitię ac sanctitatis, Col. 3. 10. Ephes. 3, 24. quæ est Fides Orthodoxa? Minime:

Quia

Quia auctoritate vernaculæ *versionis Lutheri*, qui verba Pauli, de primo Adamo facto in animam viventem, 1. Cor: 15. 45. transtulit **is gemaeckt in het natuyrlijc leven** h. e. *factus est invita naturali*: orbant primum primi Adami creationem omnibus donis supernaturalibus: Ut fallatur, qui existimet illos loqui de creata in homine Dei Imagine, quando eadem Confess. pag. 86. loquuntur de *Donis quæ homo creatus à Deo accepit.*

4. Jam olim *Mennonis* Collega *Dietericus Philippi, lib: de Baptismo Christi*, loquens *de Infantibus*, pronunciat *illos ex parte similes esse Adamo & Evæ ante lapsum: in eo videlicet, quod rudes & simplices sunt nec malum intelligentes.* Ergo intellexit, intellectu infantem fuisse Adamum, sine boni aut mali intelligentia spirituali, scilicet creatum, ut audivimus, *in vita naturali* tantum.

5. Hinc pendet, quod *in Christo homine, Imaginem Dei* sitam in Spirituali Integritate, Bonitate & sanctitate, faciunt *divinam naturam in Humana Essentia Christi*, naturæ humanæ contradistinctam: atque ob hanc essentiæ humanæ Deificationem, monstrosam, hetero-

terodoxe *negant humanam Christi essentiam Creaturam esse.* vid. disp. de Gang. 5.

6. Anabaptistarum ergo mens est: contradictionem implicare, si dixerimus cum Creatione prima Adamo inditam fuisse Imaginem Dei: quia Creatura non fuit, si Imaginem Dei in se habuit. Quid ergo? Si illos audimus, non ante monstrosam istam humanę essentiæ Deificationem, attigisset Adamus, finem illum suæ creationis, Expressionem Imaginis Dei.

7. Ex istis Hypothesibus idem D. P. libro eodem Imaginem Dei (ad quam Homo, ut ab initio creatus est, ita renovatur in Christo,) vocat *Imaginem Patris cœlestis, hoc est Christum Iesum:* & renovationem ipsam vocat *Abnegationem Veteris humanæ essentiæ.*

8. Orthodoxa fide Imago Dei de qua sermo est in Scripturis Gen. 1. 26. Eph. 4. 24. Col. 3. 10. non est Personalis Imago Patris Filius Dei: 2. Cor. 4. Col. 5. 15. sed communis Patri Filio & Spiritu S. Bonitatis divinę imago & similitudo, à creatore creaturæ donata & singulariter hominis animæ rationali, (supra communia reliquis creaturis divinę bonitatis vestigia) ab initio

initio impressa; cum Legis obligatione ad ejusdem expressionem in vita & actionibus sanctis & justis: tanquam officium, ex beneficio debitum.

9. Verum illam *naturæ* originalis *Legem*; omnium Legum divinatur in Dei cum homine fœdere spirituali fontem, adulterant Anabaptistæ, quando *Confess. oppess. Faukel. pag. 94. 95. Legem naturæ* definiunt, *Dei ordinationem in natura Hominis, qua homo etiam inclinationem habet, ad illa quæ Lege* (spirituali) *vetita sunt*, quam inclinationem *negant ex se malam esse*. Atqui contradictionem implicat, ut secundùm unam Legem & ordinationem Dei, sit in homine inclinatio, contra Legem Dei; alteram: quia sic statuitur in Deo Legislatore καὶ ναὶ καὶ οὔ Etiam & Non: & sic ipse fit in primæva Cratione peccati Auctor.

10. Indocte inclinationem ad ea quæ Lege spirituali vetita sunt, quę non potest non esse ἀνομία, & consequente, ἁμαρτία peccatum, 1. Ioh. 3. 4. confundunt cum principio voluntatis ejusque affectuum creato: quod antequam à sua rectitudine deflexit, neque ex se, nec per accidens malum fuit: ex quo autem inclinationem habere

bere contra Legem, & sic ex bono malum esse cœpit, orthodoxo sensu negatur ex se malum esse: quia nulli Legi aut ordinationi divinæ in prima creatione accepta ferri potest, aut debet, ejus malitia.

11. Apertior est Anabaptistica hæresis de nulla in Adamo primo Imagine Dei, qua secundum similitudinem & Imaginem Dei fuerit spiritualiter bonus & sanctus: ex collatione hypothesium, *de Infantibus* venientibus in mundum: Negant enim in Infantibus *Naturæ corruptionem*, Pelagiana hæresi. *Confess. pag: 93. 94.* ac tribuunt illis inculpatam innocentiam. **Onnooselheyt ende Onschuldigheyt.** Adeo ut *V. L. Defens: part. 3. pag. 55* Exclamet: *Vbinam quæso major est Innocentia, quam in recens natis infantibus;*

12. Audiamus tamen quomodo idem pronunciet de Infantibus, atque consequenter ex Anabaptisticis hupothesibus, de Adamo atque Eva creatis in vita naturali. *Quantumcunque* inquit in naturali vita, *bona indolis & naturæ homo sit, vel optime enutritus; ut abstineatur à via mala, & accedat ad viam bonam vitæ, indiget & opus habet divina institutione,*

& doctrinæ, atque exercitatione, quia voluntas & potentia naturalis, hoc præstare nequit, ut nimium debilis. Atqui negamus tam debilis potentiæ naturali in vita animali creatione, Deum defunctum esse: quando ad sui imaginem hominem bonum creavit.

13. Servata in disputationes sequentes controversia de Infantili natura jam corrupta: hoc etiam in præsens asserimus; non fuisse Infantilem in Adamo primo Innocentiam, sed adultam: hoc est non fuisse Theologiam illam qua ipsi cognoscendus & colendus erat Deus creator, tantum in potentia naturali integra, absque ullo actu aut habitu cognitionis & cultus Dei spiritualis: sed gratiæ Dei dono fuisse deductam in actum & habitum Theologiæ Originalis Legalis: quæ quidem si spectatur potentia Adamo indita à Creatore, naturalis fuit: spectata autem tota Objecti cogniti latitudine, & illo jam explicato Gratię dono, Supernaturalis dicenda fuit. Adeoque quamvis naturalis, non tamen animalis, sed spiritualis, fuit revera,

14. Analogice sentiendum de Omni Lege divina, quarationali creaturæ im-

imperatur λογικὴ λατρία cultus rationalis juxta pronunciatum Apoſtoli Rom. 7.12.14. eſſe illam ſpiritualem, ac ſpiritualiter bonam & ſanctam; ſive ſpectetur ut originaliter habens opus ſuum cordibus inſcriptum cum creatione hominis ad Dei imaginem, Rom: 2.15. ſive ut relata in tabulas Scriptas Rom. 2. 12. 13. 14.

15. Adeoque aſſerimus omnem inclinationem Concupiſcentię, contra Legem Dei quomodocunque ſpectatam, eſſe peccatum, & argui etiam ab ipſa Naturæ Lege, Rom. 2. 15. & 7. 7.

16. Indocte autem nec ſine impietate cum Naturę Lege, quę Deum, naturæ creatorem, auctorem habet, confuderit quis aliam Legem in membris, quam nominat Apoſtolus Ro: 7. 23. manifeſta catachreſi. Hæc quippe eſt ipſiſſimum Satanę illegitimum jugum, quo hoc agit ut peccatum regnet & proculcetur legis Dei reverentia: Quæ catachreſis cognata eſt illi qua Diabolus, Deus mundi appellatur. Galat: 4. v. 4.

17. Imprudenter huic indoctæ impietati vellicantur; qui poſt Socinum, ita inſtituunt Analyſin capitis VII. ad

Ro

ita instituunt Analysin capitis VII. ad Romanos à versu. 7. versus finem; ut scilicet non loquatur Apostolus in persona hominis regeniti, ex sensu luctæ inter carnem & spiritum: sed in persona hominis necdum regeniti, in quo scilicet luctetur ratio, cum appetitu inferiori.

COROLLARIA.

I. INanis argutia est, & contradictionem implicat, quod nonnemo asserit: Justitiam Originalem Lege non mandari sed approbari. Item Peccatum Originis Lege non vetari, sed damnari.

II. Nulla esse potuit, nec fuit neque etiamnum est in Christo ipso Naturalis Justitia & Sanctitas sine interventu Legis Naturæ.

III. Perperam negatur Naturalis Justitia & Sanctitas Christi nobis imputata, in nostri coram Deo Justificatione:

DISPVTATIO. III.

DE
Mortalitate Primi hominis.

1. POst assertam Fœderis Dei naturam Spiritualem, & Creationem primi Adami cum Imagine Dei Spirituali, asserenda jam Promissio Immortalitatis illa qua cautum erat Adamo primo etiam contra mortem corporalem, si perseveranter decurrisset obedientiæ curriculum. Quam assertionem cofirmamus, affirmatione Apostoli illa: Mortem in mundum introiisse, per unius primi hominis peccatum. Ro. 5. 12. & ista; Mortem esse stipendium peccati. Ro; 6. 13.

2. Supervacua videri queat contra Anabaptistas hæc disputatio: si sincere loquutus est, *1.* **Outerman.** *Arc: 4. t. 31.* & si ex omnium sententia *Pati & mori non fuisse ab initio humanam proprietatem: quia homo creatus erat immortalis: ita ut Mors facta sit proprietas humana per peccatum: Et mors non ingressa sit in mundum quam per peccatum: ut docet Paulus Rom: 5.*

3. Verum non patiuntur nos secu-

roseſſe hic de Anabaptiſtarum conſenſu, quem verba illa præ ſe ferunt: Hypotheſes illorum Pelagianę, de Infantibus morientibus, quos pronuntiaut *minimè naſci cum peccato aut reatu. Confeſs. oppoſ: Faukel: pag: 94. 95. 96.* item *Confeſſ: alia*, auctoribus, *H. d. R. & L. G. Art: 4.* Unde conſequens eſt, quod priori *Confeſſ: pag: 95.* profitentur non obſcure *Conditionem mortalem & vitæ hujus ærumnas non peccato imputandas, ſed divinæ ordinationi in naturâ.* Et quod θανὴν κεφαλὴν aſſerit *V. L. defenſ: part. 3. pag. 55. 56. Mortem corporalem non eſſe ſtipendium peccati.*

4. Accedit quod idem *v. l.* dictat *pag: 53. 54.* verbis Latinis ad libri vernaculi marginem *Mors nihil aliud eſt, quam plena corruptionis conſumptio: & Deus mortem permiſit ut ultione prudentior factus homo & melior poſſit denuo ad immortalitatem duci.* Quod paradoxon vix aliam interpretationem admittit, quam juxta Socini placita: ut non patuerit Adamo primo unquam aditus ad immortalitatem, quam per mortem corporis animalis, quod ipſi datum fuit in prima creatione, *Socinus Diſp: cum Puccio habita anno. 1578.*

5. Nullius ponderis ſunt, quæ quidem *V. L.* adfert ad erroris Pelagiani patrocinium V. G. *Corporalem pœnam infligi ad emendationem ne peccemus: Abelem qui primus guſtavit mortem corporalem non mortificatum eſſe propter peccata ſua Ioh. 3. 12.* Iſta enim nihil faciunt, ad demonſtrandum. Quid ex ſe ſit Mors corporalis ſeu unde orta moriendi neceſſitas, in relatione ad Jus vitæ & necis quod penes Deum eſt: Sed tantum dicunt quo loco jam ſint apud Deũ pii morientes, ut preciosa etiam ſit mors ipſorum, & vindicanda à Deo: Nec non quomodo mortem & afflictiones ſanctificet Deus ut cooperentur in bonum: ex quo per Chriſtum morti ablatus eſt aculeus maledictionis. 1. *Cor:* 14. 54. 55. 56. Alias enim illam in ſe conſideratam Paulus ibidem *verſ.* 25. & 26. nominat Extremum hoſtem, quem in mortuorum reſurrectione Chriſtus triumphaturus eſt.

6. Quin docet Apoſtolus (Contra V. L. qui dicat *mortem nihil aliud eſſe quam liberationem, à damnatione & pœne extremo*) remoram plenæ liberationis à maledictione & damnatione eſſe in morte corporali: quia tunc demum quan-

quando in resurrectione carnis mors abolebitur exspectamus plene consummatam liberationem & adoptionem Ro. 8. 23. 24. cum *vers.* 1. 2.

7. Socini in hac disputatione Achilles est, in Antithesi quam facit Apostolus inter Adamum primum qui factus in Animam viventem, habuit *corpus ψυχικὸν Animale* & Christam, qui factus est Spiritus vivificus, habetque *corpus spirituale: 1. Cor. 15. 45. 46. 47.* Urget autem tanquam naturæ corporis animalis descriptionem illa quæ versibus 40. 42. 44. dicuntur de Seminatione corporis animalis in corruptione.

8. Pelagiano dogmati Socini hic velificantur imprudentes, qui hoc saltem effici putant ex hoc loco *quia Christus docetur esse vitæ spiritualis primus fons & vitæ cœlestis quam jam in cœlis vivit primus auctor; Non fuisse factam Adamo promissionem vitæ æternæ spiritualis in cœlis sed tantùm animalis in terris degendæ. quod confutavimus Disp. I. Sec. Part.*

9. His quidem respondemus, nihil esse in loco Apostoli, quod vel speciem contradictionis habeat, contra Assertionem nostram quæ hæc est; Habuisse Adamum primum promissionem

5. Nullius ponderis ſunt, quæ quidem *V. L.* adfert ad erroris Pelagiani patrocinium V. G. *Corporalem pœnam infligi ad emendationem ne peccemus: Abelem qui primus guſtavit mortem corporalem non mortificatum eſſe propter peccata ſua Ioh. 3. 12.* Iſta enim nihil faciunt, ad demonſtrandum. Quid ex ſe ſit Mors corporalis ſeu unde orta moriendi neceſſitas, in relatione ad Jus vitæ & necis quod penes Deum eſt: Sed tantum dicunt quo loco jam ſint apud Deũ pii morientes, ut precioſa etiam ſit mors ipſorum, & vindicanda à Deo: Nec non quomodo mortem & afflictiones ſanctificet Deus ut cooperentur in bonum: ex quo per Chriſtum morti ablatus eſt aculeus maledictionis. 1. *Cor:* 14. 54. 55. 56. Alias enim illam in ſe conſideratam Paulus ibidem *verſ. 25. & 26.* nominat Extremum hoſtem, quem in mortuorum reſurrectione Chriſtus triumphaturus eſt.

6. Quin docet Apoſtolus (Contra V. L. qui dictat *mortem nihil aliud eſſe quam liberationem, à damnatione & pœne extremo*) remoram plenæ liberationis à maledictione & damnatione eſſe in morte corporali: quia tunc demum quan-

quando in resurrectione carnis mors abolebitur exspectamus plene consummatam liberationem & adoptionem Ro. 8. 23. 24. cum *vers.* 1. 2.

7. Socini in hac disputatione Achilles est, in Antithesi quam facit Apostolus inter Adamum primum qui factus in Animam viventem, habuit *corpus ψυχικὸν Animale* & Christam, qui factus est Spiritus vivificus, habetque *corpus spirituale: 1. Cor. 15. 45. 46. 47.* Urget autem tanquam naturæ corporis animalis descriptionem illa quæ versibus 40. 42. 44. dicuntur de Seminatione corporis animalis in corruptione.

8. Pelagiano dogmati Socini hic velificantur imprudentes, qui hoc saltem effici putant ex hoc loco *quia Christus docetur esse vitæ spiritualis primus fons & vitæ cœlestis quam jam in cœlis vivit primus auctor; Non fuisse factam Adamo promissionem vitæ æternæ spiritualis in cœlis sed tantùm animalis in terris degendæ. quod confutavimus Disp. I. Sec. Part.*

9. His quidem respondemus, nihil esse in loco Apostoli, quod vel speciem contradictionis habeat, contra Assertionem nostram quæ hæc est; Habuisse Adamum primum promissionem

vitæ ſpiritualis cœleſtis, æternæ, ſed complementum non obtinuiſſe, quia deſeruit juſtitiam ſuam, Chriſtum vero & promiſſionem habuiſſe & complementum ejus adeptum eſſe, ob impletam omnem juſtitiam: atque ſic primum hoc præſtitiſſe ut corpus quod prius ex creatione erat animale; deinceps factum ſit ſpirituale, atque ita evectum ſupra conditionem vitæ animalis.

10. Reſpondemus porro contra Socinum, minime Apoſtolum dicere Corpus Animale in ſe eſſe corruptioni obnoxium. Aſſerit quidem *Seminari in corruptione*: At hoc non de primæ Creationis lege, ſeu per Creationem inſita moriendi neceſſitate accipiendum ſed de ſepultura corporis quando terræ mandatur; illam Apoſtolus ſementi comparat: *v.* 36. 37. 38. reſurrectionem meſſi. Ad ſtatum n. ſepulturæ pertinet, quam ibidem exprimit, cum *corruptione ignominia, & infirmitas*. quæ notant maledictionem & deſtructionem creaturæ qua corpori animali vita animalis, & tandem ipſa externa μόρφωσις eripitur.

11. Ex verbis Apoſtoli ergo nihil ultra efficitur, quam, gloriam cœleſtem

ſiem & ſpiritualem in qua reſurgent corpora noſtra nos acceptam non ferre primo Adamo, ſed tantum originem corporis animalis & terreni, quatenus in ipſo creati ſumus: ultra autem corporis illius animalis corruptionem ignominioſam, quatenus in ipſo peccavimus.

12. Nullis autem fidiculis ex Apoſtoli verbis exprimi poteſt corpus Adami animale, (etiamſi Adamus præſtitiſſet obedientiam quam Deus ſtipulatus erat) obnoxium futurum fuiſſe, corruptioni ignominiæ & lethali infirmitati. Optime autem cum mente & verbis Apoſtoli conveniunt, noſtræ contra quoſcunque ſequentes Hypotheſes.

13. Adamum primum corpore quidem Animali, non Spirituali donatum in prima creatione: tamen in Anima habuiſſe vitam illam ſpiritualem quæ principali imagine Dei continetur; Ac porro habuiſſe ex Veteri operum Fœdere promiſſionem, vitæ æternæ in cœlis degendæ in corpore glorioſo quod Spirituale vocat Apoſtolus, ſi perſeveraſſet in obedientia.

14. Animalis autem vitæ in corpo-

re animali conditionem beatam primorum non cenſemus illa naturæ neceſſitate, abrogandam fuiſſe, perſeveranti in obedientia etiamſi nullum interceſſiſſet Fœdus promiſſionis.

15. Corruptioni vero ignominiæ & infirmitatibus corporalibus aut ſpiritualibus negamus potuiſſe Adamum obnoxium fieri nedum morti, antequam peccaſſet.

16. Poſtquam vero per peccatum excidit Adamus promiſſione vitæ cœleſtis in corpore ſpirituali; nihil ad nos propagari potuiſſe aſſerimus, quam corpus animale & vitam animalem, & quidem illa lege, ut ipſa illa animalis vita aliquando cum morte commutetur.

17. Hoc pacto conſtare Antitheſin Apoſtoli affirmamus inter Adamum primum & Chriſtum, eventu nimirum diſpari, quod ille corpori Animali ex pulvere facto accerſiverit neceſſitatem revertendi in pulverem 1. Cor: 15. 44. 47. cum Gen: 3. 19. Chriſtus autem ſuperinduerit corpori animali gloriam illam merito ſuo quæſitam; à qua eſt corporis Spiritualis denominatio.

18. Corpus Spirituale glorioſum ſeu

seu Christi, seu Christianorum, in futura resurrectione vocavit Apostolus Spirituale, neutiquam Antithesi ad naturam corporum invisibilem palpabilem ac suo loco mensurabilem; sed partim, ad peccatum & opera carnis Lege spirituali vetita: partim ad functiones vitæ animalis terrenas: 1. Pet: 4. 1. cum Mat. 22.30. Marc: 12. 25. Luc. 20. 35.

19. Neque existimandum est cum corpore Spirituali glorioso contradictionem implicare, quod Spiritus non sit, & Carnem atque Ossa habeat: Nec eo detorquenda Pauli verba ista, 1. Cor: 15. 50. Caro & sanguis non possunt hæreditatem regni Dei consequi. Intelligit enim Paulus non naturam carnis & sanguinis, quę opus est Creationis divinæ; sed, familiari Scripturę phrasi, corruptionem naturæ, quam ipso illo versu φθορὰν nominat.

DISPVTATIO IV.

DE

Peccato primo Imputato.

1. Fœdere veteri operum ante lapſum, Primus homo cum Eva conjugatus, & factus una Caro, obligabatur non ſuo ſolius, ſed poſterorum etiam omnium (qui naturaliter ex congreſſu maris & fœminæ naſciturí erant) nomine; ut ſtirps generis humani, ex ipſis propagandi.

2. Quod ex eventu calamitoſo liquet, quia non ſibi tantum lapſi ſunt primi parentes, ſed ita ut ſecum traxerint ruinam totius humani generis. Quo intuitu Paulus Adamum primum facit τύπον τοῦ μέλλοντος *Typum futuri* Adami Chriſti Rom: 5. 14. Quippe ut Chriſtus Legis obligationem ſuſtinuit & implevit & ſuo & noſtro nomine, ut caput & ſtirps ſalvandorum omnium, ſimiliter Adamus primus, ſed diſſimili eventu, eandem ſuſtinuit & ſuo & noſtro nomine: quod ſi non dictum voluit Apoſtolus, nihil dixit.

3. Voluiſſe hoc Apoſtolum demonſtrant antecedentia & conſequentia: docet enim omnes homines peccaſſe

in

in Adamo ἐφ' ᾧ πάντες ἥμαρτον: Quod non præter usum præpositionis ἐπὶ cum dativo, pluribus interpretum suffragiis exponitur. *In quo omnes peccaverunt* v. 12.

4. Quamvis illud ἐφ' ᾧ pro *In quo* flagitaret aliam interpretationem Grammaticam istam *Eo quod* omnes peccaverunt: quomodo Anabaptistæ hærent hic illi versioni Lutheri, Dieweil sie alle gesondiget haben. Tamen non auferetur illa loci ἅπαξ omnes in Adamo peccasse. Quia aliam non patiuntur antecedentia & consequentia ista: *Per unum hominem peccatum in mundum introiit, & in omnes homines transiit*: hoc ipso versu 12. *Reatus ex una transgressione venit ad condemnationem. v. 16. in omnes homines. v. 18. Per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: v. 19.*

5. Et expressius contra aliam loci ἅπαξ qua fingatur de Actuali peccato omnium illic loquutus Apostolus, militat, quod cum versu 12. dixit, *Sicut per unum hominem peccatum introiit in mundum & per peccatum mors etiam sic* (ita interpretamur illud Καὶ οὕτως ut nullum sit Anantapodoton) *mortem pervasisse ad omnes homines*; Illis ad quos mors sicut

per peccatum in mundum introiit, pervasit, accenset etiam infantes, *qui non peccarunt ad similitudinem peccati Adami*, id est, ad quos mors nulla peccati imitatione sed sola imputatione, & hæreditaria maledictione potuit derivari.

6. Statuendum ergo necessario ex mente Apostoli in omnibus Adami posteris naturalibus Peccatum Originis, bipertitum 1. Primum primi hominis peccatum imputatum. 2. Deinde hæreditaria illa paupertas spiritualis, qua propagantur omnes ab Adamo primo spiritualiter mortui in peccatis.

7. Contra primum primi hominis peccatum posteris imputatum, hic maxime arietant Anabaptistæ, & quotquot hic velificantur hæresi Pelagii: sic tamen ut nonnunquam veritas ex invitis pectoribus erumpat: Quam initio ex ipsis lubet audire: *Primo homine in peccatum lapso, & in indignationem: lapsi erant in eo etiam posteri ejus. H. d. R. & L. G. Confess: Art: 4. Adami peccatum fuisset causa sufficiens, per quam ipse pro se & omnibus posteris suis, foret obnoxius, pœnæ comparatæ ad naturæ corruptionem, adeoque miseriis variis, nec non iræ Dei. Ro. 5. 12. 16. Confess: oppos: Faukelio Art: 7. pag. 93.*

Item.

Item. *Portamus ergo peccatum Adami. V. L. defenſ: part: 3. pag: 54.* Item: *Pueris de quibus Chriſtus loquitur* Matt: *v. 14. hereditarius erat reatus, cujus participes erant per tranſgreſſionem Adami. I. O: Evidenti Demonſtr. Art: 1. §. 16.* Item. *Si Chriſtus ſecundum carnem morti erat obnoxius eo pacto quo pati & mori, facta ſunt, propritas humana: conſequi debet ipſum juxta Ro: 5. 17. morti obnoxium factum, per peccatum ipſi ſecundum carnem hereditarium: Nam alio pacto Mors non introiit in mundum quam per peccatum, ut Paulus docet Ro: 5. I. O. X. Art: 4 ſſ. 3.*

8. Huic veritati ex mente ſua obloquuntur Anabaptiſtæ, per inficiationem illam ſeriam. *Neminem poſterum Adami naſci Peccatorem aut Rerum: Verum* inquiunt: *Homo demum peccator fit libreo ſuo aſſenſu, & actuali 2. frequentatione peccati: quapropter etiam peccator unuſquiſque non propter Adami ſed propter propria ſua peccata Prov. 9. 12. 2. Cor: 5. 10. Gal: 6. 7. non quorum paſſive factus eſt particeps per το peccare Adami cui proinde nec conſenſit nec coperatus eſt! ſed qua ipſe volens & operans patratut pati debebit pœnam damnationis Conſeſſ: opoſ: Faukel, pagina 96.*

9. Repugnat Pelagiana iſta hæreſis

sis ἀλήθειαν Doctrinæ Apostolicæ capite ad Romanos V. quæ illic munita est ista hypothesi, non fore Infantes morti obnoxios nisi nascerentur peccatores & rei. Nec non aliis Scripturæ testimoniis: Davidis confessione illa *Ecce in iniquitate conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea, Psalm 51. 7.* Pauli affirmatione illa, *Eramus natura Filii Iræ sicut & reliqui Eph; 2. 3.* & altera illa qua pronunciat, citra Fœderis Sanctificationem, liberos utroque parente infideli natos esse *impuros 1. Cor. 7. 14.* Quod etiam Christus confirmat, asserens non patere aditum in regnum cælorum, per primam nativitatem carnis ex carne; non supervenientе regeneratione. Ioh: 3. 5.

10. Adjicimus hanc quoque demonstrationem ex Scriptura, ad confirmandum hæreditarium peccati primi reatum: Quod peccatum in nobis habitans, appelletur *Vetus homo* exuendus instar veteris indumenti; quando jubemur induere Christum ut *novum hominem Ro. 6. 6. Eph. 4. 22. Colos; 3. 9.* Nulla est ratio antithesis, qua Christo ut homini novo opponitur peccatum appellatione hominis veteris

quam

quam quod novæ cum Christo unioni ad communionem Justitiæ & Sanctitatis per Iustificationem & Sanctificationem, opponatur, Vetus cum primo Adamo unio, qua participavimus & reatu & fructu transgressionis ipsius, ad mortem & damnationem.

Collatio Dogmatis Remonstrantium.

11. Remonstrantes vis veritatis fateri cogit: Peccatum Adami à Deo imputatum dici posse posteris ejus, quatenus Deus posteris Adami eidem malo, cui Adamus per peccatum obnoxium se reddidit obnoxios nasci voluit: sive quatenus Deus malum quod in pœnam Adamò inflictum fuerat in posteros ejus dimanare & transire permisit. Apolog: pag: 84.

12. Dimanationem seu propagationem mali explicant, (hactenus quidem non male) illa naturæ conditione quam ex Adamo peccatores trahunt, quæ privata bono gratiæ & gloriæ, non aliter quam posteros eodem bono privatos proseminare potest. pag. 57. versa.

13. In istis hypothesibus stabilito consensu facile disputatio de Imputatatione peccati primi abiret in logomachiam: si non hoc subesset arcanum: Malum illud Adamo in pœnam denunciatum, ad posteros ejus propagatur per conditionem naturę privatam bono gratiæ non complecti Mortem æternam veram cum pœna sensus: Asserunt enim strenue tantum denunciatum Adamo Mortem corporalem sive dissolutionem animę & corporis quam præcedunt mala omnia ad mortem disponentia & quam deinde æterna pœna damni, id est, divinæ visionis sive gratiæ & gloriæ æternæ privatio consequitur Apol: pag: 57.

14. Si vera est ista Remonstrantium assertio: Omnes Ethnici etiam adulti actualiter peccantes, & in tenebris morientes, quibus non illuxit Euangelium Gratiæ & gloriæ, liberantur, omni æterna pœna sensus post animæ & corporis in morte corporali dissolutionem, quippe non obnoxii illi iræ venturæ, quæ per Euangelium revelata est; sed pœnę tantum illi quę Adamo fuit denunciata.

15. Ex eadem assertione conse-

quens

quens est, neminem per Christum erui aut liberari vere ab ira illa ventura quę per Euangelium revelata est; 2. Thess. 1. 10. cum Matt. 3. 7. sed tantum ab ęterna Pœna damni Adamo ex hypothesi denunciata, atque sic neminem cui illuxit Euangelium, vere manere in morte & tenebris illis, quibus naturæ conditione quam ex Adamo traxit, sit obnoxius ut natura filius iræ, super quem ira Dei maneat, contra Scripturas. Eph. 2. 3. cum Joh. 3. 36. 1. Joh. 2. 9. & 3. 14. Sed abolita. ex hypothesi, morte illa æterna quę habebat pœnam damni. nove per novam comminationem, quę promissiones Euangelii comitatur, subjiciuntur morti æternæ cum pœna sensus.

16. Latet sub hac assertione etiam aliud arcanum Socinianismi Non futuram universalem omnium mortuorum resurrectionem, ad adeundam aut vitam aut mortem ęternam quam docet Euangelium, quod Remonstrantes hic mussitant Apol. p. 57.

Disputatio V.
De
Peccato Originis & Servo arbitrio.

1. PArtiti sumus disput. præcedenti Peccatum Originis in Peccatum primum primi hominis imputatum, & in hæreditariam illam paupertatem spiritualem, qua propagantur omnes ab Adamo primo spiritualiter mortui in peccatis: Posterius hoc Peccatum Originis inhærens, connexum priori, neutrum absque altero, intelligimus appellatione Peccati originis quod vernacule **Erf sonde** h. *Hereditarium peccatum* nominamus, consentanea Scripturis ὁμωνυμίᾳ: quæ dictat nos concipi & foveri in matris utero in peccato & iniquitate Ps: 51. 5. 7. atque hanc conceptionis, & nativitatis impuritatem Spiritualem depingit in Emblemate impuritatis corporalis à qua purificari opus habent recens in lucem editi ex matris utero, Ezech: 16. 3. 4. &c. atque affirmat, citra fœderis novam sanctificationem, nasci τὰ τέκνα ἀκάθαρτα liberos impuros 1. Cor. 7. 14.

2. Con-

2. Contradicunt huic veritati Scripturæ Anabaptistæ, quando, nativitati infantium primę citra ullam regenerationem adscribunt *Innocentiæ puritatem, in qua Creatori suo placere queant* ac asserunt, *actuali demum peccato Hominem fieri peccatorem: vide disp. XV. Thes. 8.*

3. Quod porro refellitur ista Scripturæ affirmatione, Nos in carne & sanguine id est naturæ corruptione, qua arcemur hæreditate regni cœlorum, nisi regeneremur, gestare imaginem primi Adami 1. Cor. 15. 49. 50. Quia ille corruptus generavit posteros ad imaginem suam, ad similitudinem suam. Gen. 5. 3. Et sic quod ex Carne genitum est Caro est. Ioh. 3. 6. Qui autem Carnales sunt & Spiritum regenerationis non habent (Iudæ 19.) in Carne Deo placere non possunt, nec regnum cœlorum ingredi. Joh. 3. 3. 5. cum Ro. 8. 8.

4. Esse autem illam hęreditariam naturę corruptionem vere peccatum, credimus, quia Scriptura expresse nominat etiam illius corruptionis reliquias in regenitis, Peccatum in illis habitans Ro. 7. 17. 20. Legem peccati

peccati in membris ἀντιστρατευόμενον Militantem contra Legem Dei, Ro. 7. 22. 23.

5. Irregeniti autem dicuntur, Natura filii iræ in peccatis Mortui. Eph. 2. 1. 2. &, Coloss. 2, 13. cum Ioh. 5. 25. & quatenus serviunt suæ concupiscentiæ, dicuntur Servi peccati, Ro. 6. 17. & 20. & 7. 25. cum Tit. 3. 3.

6. Ad hæreditariæ istius labis, peccati Originalis hærentis in natura, cognitionem pleniorem, facit Controversia *de Libero Arbitrio* ejusque viribus ad Electionem boni spiritualis: in qua isthęc est Grangræna Theol: Anabaptisticæ: *Adamum non fecisse Jacturam potentiæ rationalis ad boni & mali discretionem: nec potentiæ voluntatis ad boni aut mali Electionem. Confess. oppos. Faukel. pag. 89. Adamum in statu lapsus non fuisse adeo malum: quin potuerit per usum rationis à Deo concessa & relicta auscultare & acceptare bonum ipsi à Deo obveniens per promissionem consolatoriam in Christo ad redemptionem ipsius, ipsi oblatam: Quin Adamum reipsa usum* ista ipsi ad restaurationis usum à Deo concessa relicta libertate & potentia, *Confess. eadem pag. 92. & pag.* indicata 89, asserunt, *tantum-*

tundem ſervaſſe etiam poſteros Adami h, e. liberum arbitrium ſitum in uſu rationis ad boni & mali non tantum diſcretionem, ſed liberam etiam electionem Deut. 30. 19. & Ioſue. 24. 15.

7. Loca Scripturæ quæ huc torquent infra vindicabuntur: Contradictoria autem ſunt iſta, illi quam audivimus affirmationi Scripturæ de Homine ante regenerationem mortuo in peccatis & Servo peccati: Cum qua ſervitute peccati & morte ſpirituali in peccatis conciliari nequit libera electio boni ſpiritualis. Quam ibidem Apoſtolus inficiatur verbis iſtis: Quum ſervi eſſetis peccati liberi eratis à Iuſtitia, Ro: 6.20. Catachreſi manifeſta libertatem à Iuſtitia vocans, liberi arbitrii à bono averſionem plenariam, qua Legi Dei nec ſubjicitur nec ſubjici poteſt: propterea quod ipſa intelligentia carnis, φρόνημα τῆς σαρκὸς inimicitia eſt adverſus Deum. Ro. 8.7.

8. Illa autem arbitrii libertas ad bonum ſalutare eligendum & amplectendum, expreſſa à ſcriptura vindicatur Spiritui regenerationis, auferenti velamen cordibus impoſitum; Ubi Spiritus illic Domini, illic libertas. 2. Cor.

Cor: 3: 15. 16. 17. cum Joh: 8. 36.

9. Omnem autem illum rationis usum bonum quo bonum salutare eligat homo per libertatem arbitrii relictam à Deo in natura, perimit illa Scripturæ affirmatio, Omne figmentum cogitationum cordis ejus, tantummodo malum omni die. Genes: 6. 5. Figmentum cordis hominis malum מנעריו, *à pueritiis, numero plurali*, h. e. ab extrema pueritia, ac consequenter ante annos discretionis. Gen: 8. 21. Et Pauli de se ipso confessio, *quæ præivit isti Exomologesi Catecheseos nostræ Quæst. 8. Adeo corrupti sumus, ut ad bene agendum prorsus non simus idonei, 2. & ad omne vitium proclives. 1.* Novi non habitare in me id est in carne mea bonum. R: 7, 18. 2. Peccatum, occasione sumpta per mandatum, genuit in me omnem cupiditatem. vers: 8.

10. Accedit quod ad ipsam boni & mali spiritualis discretionem, quæ electioni præit, rationis naturalis lux, sit caligo mera & tenebræ: Ergo si lumen quod in ipso est tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quantæ? Matt: 6. 23. Eratis olim tenebræ. Eph: 5. 8. Sub potestate tenebrarum, Col: 1. 13. Mentem haben-

tes

tes obſcuratam abalienati à vita Dei per ignorantiam etc. Eph;4.18. Adeo ut non tantum Euangelium tectum ſit. 2. Cor:4.4. ſed etiam non percipiatur ſpiritualis ἀλήθεια Legis, niſi ablato per Spiritum Domini velamine cordis. 2. Cor: 3. 7. 18. cum Ro:7. 7.

11. Gratiam autem in Chriſto exhibitam & oblatam tantum abeſt ut homo animalis, ſapientia animali, recte diſcernat aut diſcat: ut affirmet Apoſtolus, ipſi ſtultitiam eſſe illa quæ ſunt Spiritus Dei, & quę ſpiritualiter dijudicanda ſunt; 1. Cor:2.12.13.14. Unde fit ut qui carnales ſunt & Spiritum non habent, quando ſe ingerunt in myſteria ſpiritualia, convitiis inceſſant quæ non noverunt: quæ vero φυσικῶς naturaliter, ut animantia rationis expertia, ſciunt, in iis corrumpantur. Iudæ, 10. 19. atque ſic Hominis animalis ψυχικὴ ſapientia evadit ἐπίγειος, ψύχικη, δαιμονιώδης: terrena, animalis, dęmoniaca. Joh. 3. 15.

12. Ad vindicationem locorum quos torquent Anabaptiſtæ, dicimus, ex verbis quidem Moſis Deuter: 30. 19. *Propoſui vobis vitam & mortem benedictionem & maledictionem, ut vitam eli-*

ga-

gatis; Minime consequens est Anabaptistarum assertio, *Posteris Adami ab Adamo hereditario in vitam animali relictam potentiam discretionis nec non electionis libere boni & mali.* Sed Mosis sententia ista est; Illorum quibus Deus circumcidisset cor, juxta promissionem quæ præcessit vers. 6. officium esse ut eligentes viam vitæ, h. e. exercentes se in obedientia mandatorum Dei; demonstrent se non amplius esse incircumcisos seu præputiatos corde; atque sic suam ad vitam æternam vocationem & electionem firmam faciant vitę spiritualis demonstratione: Per cordis ergo circumcisionem vita Spiritualis prævenit vitæ æternæ electionem quæ est officii nostri functio.

13. Mirari autem licet bonam fidem Anabaptistarum: qui ex loco isto disputant pro libero arbitrio, ad electionem & acceptationem Promissionum redemptiones per Christum: Cum sentiant ipsi *Ex promissionibus quæ exstant Deut: 28.* (quas spectavit Moses Deut. 30. *Nihil aliud concludi posse, quam Deum ipsis promittere vitam longevam, requiem bonam, & pacem in Terra, Nec fas esse promissiones illas ulterius exten-*

de-

dere: V. L. Defenſ: part. 3. pag. 22. & 24.

14. Ex loco altero Ioſuæ 24. 15. dicente Joſua *Sin autem malum vobis videtur ut Domino ſerviatis, optio vobis datur, eligite hodie quod placet cui ſervire potiſſimum debeatis: utrum Diis quibus ſervierunt Patres veſtri in Meſopotamia, an Diis Amorrhæorum in quorum terra habitatis. Ego autem & domus mea ſerviemus Domino?* Minime conſequens eſt hoc quod probandum erat: Vel Ioſuam vel Populum, ſine Spiritu Dei viribus ſolis naturalibus liberi arbitrii ab Adamo propagatis, elegiſſe verum veri Dei cultum; Hoc tantum habent verba Ioſuæ, libero arbitrio eligere ſuo damno potuiſſe, qui Deo vero ſervire nollent, hunc præ illo cultū idolatricū.

15. Altera reſponſio eſto, Electionem iſtam qua Ioſua & populus elegit verum veri Dei cultum, Non factam eſſe ab omnibus & ſingulis in populo, pari ſinceritate: verum fuiſſe hanc Publicam cultus profeſſionem! quam frequenter plures eligunt, abſque cordis vera ad Deum converſione: quomodo tempore Hamanis metu Iudæorum multi Iudæi facti, ſola externa profeſſione Heſter. 8. 17.

DISPUTATIO VI.

DE

Instauratione Hominis lapsi.

1. ADamo & Evę lapsis nulla reliqua fuit ex Veteri Fœdere operum Spes aut exspectatio vitę æternę: Sed in ipsis omnes naturales posteri, ut natura filii irę, & spiritualiter mortui in peccatis, Eph: 2. 1. 2. 3. Col: 2. 13. facti sunt obnoxii per omnem vitam servituti illi, qua metuenda est Mors, & animæ & corporis. Heb: 2. 15. cum Matt: 10. 28.

2. Ex hac calamitate facta est Hominis lapsi instauratio per promissionem illam, *Semen mulieris conteret caput Serpentis.* Genes: 3. 15. Cujus promissionis, in qua fundantur reliquæ, τὸ ναὶ καὶ τὸ Ἀμὴν Etiam & Amen est in Christo: & Paraphrasis ista est, post Christum factum ex muliere, *Ad hoc patefactus est Filius Dei, ut dissolveret opera Diaboli.* 1. Ioh: 3. 8. Etenim in Serpente Diabolus Evam seduxit: 2. Cor: 11. 3. 14. Et Contritio capitis serpentis, notat devictam & triumphatam *Omnem vim Inimici. Luc. 10. 18. 19. 20.*

3. Ab hac ergo Promissione arcef-

sen-

ſenda hiſtoria Novi Fœderis Gratiæ, quo inſtauratus eſt homo in novam ſpem promiſſionis vitæ æternę, quæ, per tranſgreſſionem veteris fœderis operum, decollarat: & accepit Adam & Eva per fidem, peccatorum remiſſionem gratuitam, & ſalutem in Chriſto: qui, quamvis olim demum manifeſtandus in carne, jam tum interceſſit ut Novi Fœderis ſponſor.

4. Circa hanc primam promiſſionem Euangelii, *Auctores Confeſſ: oppoſ. Faukelio* ex vi veritatis confitentur: *Adamum, verbis iſtis Gen: 3. 15. accepiſſe conſolationis plenam in Chriſto promiſſionem gratiæ ipſius, ad peccatorum remiſſionem, ad propitiationem Dei irati, & ad fruitionem vitæ æternæ. Pag: 92.* Quod quomodo concilient cum ſuis de Differentia Veteris & Novi Fœderis hypotheſibus, ipſi viderint.

5. Ab efficacia autem erroris eſt ſequens ipſorum aſſertio *Pag: 92. Adamum acceptatione Promiſſionis illius, non ſibi ſoli, ſed omnibus ſuis poſteris acquiſiviſſe & propitiationē & remiſſionem reatus: Adeo ut nemo ex naturali ſemine ejus ab ipſo inſtaurato genitus, propagatus, & natus ſecundum Naturæ curſum, naſcatur cum pec-*

cato, aut mortis æternæ reatu. Item. Hominem naturaliter naſci participem Gratiæ Dei in Chriſto. Pag: 97.

6. Implicant aſſertiones iſtæ contradictionem cum Scripturç hypotheſi de Regeneratione, Non gigni filios Dei, neque ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri. Joh: 1. 13.

7 Nec ſibi conſtant Anabaptiſtæ, quando in controverſia *de Pædobaptiſmo*, argumentum Orthodoxum, (Quod naſcantur Fœderati Fœderatorum infantes, vi Promiſſionum Fœderis iſtarum, Ero Deus tuus & Seminis tui Geneſ: 17. 7. Vobis & liberis veſtris facta eſt hæc Promiſſio Act: 2.39. Liberi veſtri ſancti ſunt. 1. Cor: 7. 14.) Sic conantur enervare: *Fruſtra eſt* inquiunt, *Jam putare Gratiam Dei annexam eſſe generationi naturali: atque eo torquere ſermonem Legis quem Deus loquutus eſt Abrahamo dicens, Ero Deus tuus & ſemini tui Geneſ: 17. Et velle, hanc Gratiam ſigillis obſignare, ut Hereditarium Jus Civitatis, aut relictam à parentibus & adnatam Nobilitatem, ſeu Immunitates & Privilegia. Item. Nihil in Euangelio prodeſſe Nativitatem ſecundũ carnem. V. L. Defenſ: part: 3. pag: 36.* 8.

8. Nos minime naturali carnis generationi imputamus, quod fidelium infantes sint hæredes promissionis; Sed Nativitati in sinu & gremio Ecclesiæ Deo fœderatæ; quod *ut Iudaicum* respuit idem V. L. ibidem. Ipsi autem Anabaptistę illum, velint nolint, errorem errant hic, quem illic rejiciunt, odio Pædobaptismi.

9. Erroris autem Elenchus iste est: Non patitur in negotio Instaurationis per Gratiam Novi Fœderis ex lapsu, Universalem totius generis humani in Adamo & Eva repræsentationem eandem quæ fuit ante lapsum, Repræsentatio Ecclesię nova in Christo ut Adamo novo à Paulo expressa Rom: 5. 14. 15. 17. 18. 19. 21. 1. Cor. 15. 22. 45. 47. Propter quam Omnis spiritualis cognatio hęredum promissionis in Cœlo & in terra non ex Adamo primo sed ex Christo censetur. Eph. 3. 15. cum Heb. 2. 13.

10. Deinde non patitur illam in Adamo & Eva novam totius generis humani repręsentationem, in hominis lapsi instauratione Ipsa concepta formula promissionis, qua prænunciatur fore ex Adami posteris Se-

men aliquod Serpentis, cui futura sit inimicitia ἀντιθετικῶς cum Semine mulieris: Quod evidenter explicat Iohannes de hominibus Adami posteris reprobis intelligendum: docens credentes Dei filios, post Abelem, experiri hæreditarias à Caino inimicitias & odia illorum qui manent in morte, quos vocat Filios Diaboli. 1. Joh. 3. 12. 14. qui ut à Mose Semen serpentis, sic à Christo & à Johanne Baptista Serpentes & viperarum progenies dicuntur. Matt. 23. 33. & 12. 34. & 3. 8. Luc. 3. 7.

11. Mala fide hic ad erroris patrocinium *Auctores Confeß. oppoſ. Faukel. pag. 94.* torquent loca aliquot. 1. *Gen.* 12. 3. & 22. 18. in quibus exstat Fœderis cum Abrahamo sanciti promissio, benedicendas in ipso & semine ejus, omnes cognationes terræ: Et enim, ne quidem omnes qui sunt naturales Abrahæ posteri, sed soli credentes hæredes sunt promissæ Abrahamo benedictionis: Gal. 3. 7. 8. 9. 29. Præpostere ergo, ex Promissione Abrahamo facta, trahitur hæreditas benedictionis ad naturales omnes primi Adami posteros.

12.

12. Malè queq; arripiunt locum Joh. 1. 9. *Hic erat lux illa vera, qua illuminat omnem hominem venientem in mundum.* Appellatur enim illic Christus Lux illa vera, &c. non consideratione officii Mediatorii quo Deo peccatores reconciliat; sed consideratione æternæ divinæ essentiæ, ut ipse Deus, qui Lux est. 1. Joh. 1. 5. & Pater luminum Jac. 1. 17. adeoque universalis fons Lucis omnis & cognitionis, seu naturalis in vita animali, seu supernaturalis in vita spirituali: quippe creator omnium & singulorum.

13. Neque conciliari possunt cum ista loci illius detorsione ad hæreditariam cum Deo reconciliationem in primo Adamo, & quæsitam per naturæ ex Adamo propagationem hæreditatē Gratiæ Dei, Hypotheses istæ Ja: Outerman: *Christum in corpore suo benedicto fuisse Lucem mundi: Etenim, inquit, verum exemplar fuit unicuique sancta sua conversatione ad ambulandum in Luce Spirituali & ad imitationem sui in obedientia, ut plena Lucis. X. Art. art. 5. §. 9. 10.* Non est hujus loci Hypotheses istas enucleare, & refellere latentem Socinianismum, de Christo Servatore exem-

plari. Hoc ad præſentem diſputationem facit: Quod non poſſit Chriſtus dici Lux vera mundi illuminans, hæreditaria naturæ per Gratiam illuminatione, Omnes Adami poſteros; hoc quidem loco; ſi Lux illa mundi & vita dicenda eſt ineſſe Carni Chriſti, & illuminare exemplo converſationis, ad imitationem Chriſti.

14. Vindicandus porro unus & alter locus quo pugnant Anabaptiſtæ pro Univerſali in Adamo omnium & ſingulorum reſtauratione ex lapſu: prior eſto *Ro. 5. 18. Per unam Iuſtificationem, beneficium redundavit in omnes homines ad Iuſtificationem vitæ.* Atqui verba illa non patiuntur extenſionem ad alios quam ad multos illos, qui Iuſti conſtituentur; de quibus ſermo continuatur verſu. 19. Quos etiam verſu 17. dixit Apoſtolus, accipere donum Iuſtitiæ, h. e. ex Fide Iuſtificari.

15. Iſtam determinationem Univerſalitatis ſigno Univerſali iſtic & alibi expreſſæ, circumſcriptam Cancellis Eccleſiæ, vocandæ efficaciter per Verbum & Spiritum Fidei, dictat illuſtris locus Act: 2. 39. Ubi Petrus τὸ *omnes* interpretatur *Quoſcunque*

que advocaturus eſt Dominus Deus noſter: Qui *Omnes vocati* illi ſunt, in quibus ad fidem efficax eſt Verbum prædicatum: Qui ut inter Multos exteriori prædicatione vocatos *Pauci* dicuntur *Electi.* Matt: 20. 16. 22. 14. Ita ſoli Antonomaſtice *Vocati* dicuntur. 1. Cor. 1. 24. *Vocati ſecundum Dei propoſitum. Ro:* 8. 28. 30. Et quidem, *Multi*, ac *Omnes*, propter Univerſitatem numeroſam multarum Chiliadum & Myriarum ex omnibus Gentibus & Nationibus præter Judæos. Apoc. 12. 4. 9. cum 4. 9.

16. Neque aliam interpretationem flagitat locus 1. *Ioh: 2. 2. Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: Nec tantum pro noſtris, ſed etiam pro totius mundi peccatis*, Habemus Anabaptiſtæ *V. L.* ſed aliud agentis, probam expoſitionem iſtam: *Dicit noſtris, ut qui etiam eſſet ex Iudæis. Defenſ, part: 1. pag: 9.* Eſt ſane illa verborum ἀλήθεια: confer quod Apoſtolus Salutem gentium nominat *Opulentiam Mundi*, & *Reconciliationem mundi Ro: 11. verſ. 12. & 15.*

Disputatio VII.

De

Gratia Mediatoris Christi.

1. TRactavimus in superioribus nonnullis Disputationibus Gangrænam, quam fecit hæresis Anabap: in Articulo de Incarnatione Christi, circa Naturam Christi divinam & humanam: Quando asserunt *Secundum Adamum seu Hominem Iesum Christum non habere ex primo Adamo Carnis suæ Originem, sed ex Cœlo: Adeoque corpoream carnis Christi substantiam esse ipsã Vitam & Lucem hominum, & Spiritum vivificum de quo sermo est Ioh. 6. 63. & 1. Cor. 15. 45. Non Creaturam Dei sed Deum ipsum Creatorem*: Quæ paradoxa errorum monstra illic confutavimus.

2. Hæc porro gangrænam faciunt in Fide Officii Mediatorii Christi: quandoquidem pervertunt Apostoli axioma illud, & qui sanctificat & qui sanctificantur ex uno sunt omnes, Heb. 2. 11. non sine vertiginis spiritu asserentes *impossibilem esse ex uno nobiscum sanguine, seu ex uno Adamo primo, Carnis Christi originem.* hanc scilicet ob

cau-

cauſam, *quod omnes, qui ex Adamo poſt lapſum ipſius deſcendunt, non poſſint aliam ab ipſo vitam trahere, quam quæ fuit in ipſo ſpiritualiter mortuo, peccaminoſo & dãnabili. Corn. Cuper. Art. 5. ff. 138. 139. 140.*

3. Spiritus vertiginis iſte eſt, quod, verbis his intellectis prouſus jacent, deſtruant ipſi ſuas *de Peccato Originis* Hypotheſes, quibus inficiantur *naſci poſteros Adami Peccatores aut Reos.*

4. Enimvero aliud volunt quam verba præ ſe ferunt, quia hoc eſt ipſorum πρῶτον ψεῦδος. Ne quidem re integra corpus Chriſti potuiſſe originem ſuam trahere ex Animali corpore Adami, cui fini indicatus eſt locus. 1. Cor. 15. 45.

5. Et olet ſordes Davidis Georgii & carnalia ejus Emblemata hominis Spiritualis, quod Mortem Spiritualem definiant impotentia ad generandam carnaliter carnem Chriſti: Et quod ex hypotheſi in cognatione carnis noſtræ cum carne Chriſti fundant vitam Spiritualem. detortis male verbis Chriſti Joh. 6. 63. in quibus ipſe à carnali corporis ſui ſubſtantia nos avocat, ut quę, per ſe conſiderata, non prodeſſe quicquam: vindicat autem vivificam & ſal-

vificam vim omnem Spiritui Deitatis in carne ſua habitantis per Unionem Perſonalem: ac de eadem Chriſti Deitate non de corpore carnis accipiendum πνεῦμα ζωοποιοῦν. 1. Cor. 15. 45. Factus autem dicitur poſterior Adam *Spiritus vivificus* per Unionem jam dictam, quia Carni unitus eſt Spiritus Deitatis.

6. Fidem autem orthodoxam Officii Mediatorii Chriſti perimunt paradoxa illa, iſthac conſequentia: Quia, extra naturam humanam creatam, nec potuit Chriſtus fieri ſub Lege ſponſor ſeu Fidejuſſor illius obedientiæ quam juxta Fœderis conventionem Homo debebat Deo: neque potuit pœnam & maledictionem iſtam ſuſtinere quam Deus creaturæ humanæ denunciaverat. Heb. 7. 22. Gal. 4. 4. Latentem hic Socinianiſmum de Chriſto ſervatore exemplari obiter notabamus ex *I. O. X. Art. 5. ß. 9. 10.* Diſputatione præcedenti *Theſi. XIII.* Item *Art. 8. ß. 49. & 50. in* hanc ſententiam pronunciat. *Chriſtum pœnam noſtrorum peccatorum non baſulaſſe, per Juſtitiam Dei.* Item. *Non neceſſario fieri debuiſſe per Dei juſtitiam, ut Chriſtus moreretur: ſed tantum*

propter antegressus Dei promissiones.

7. Christum Servatorem exemplarem minime facit indigitamentum Lucis Christo tributum Joh. 8. 12. 12. 46. 1. Pet. 2. 21. Sed notat liberatorem verum, ab ira ventura, qua Deus damnandos abjiciet in Tenebras exteriores Matt. 8. 12. 22. 13. cum 5. 8. Heb. 12. 14. 1. Pet. 2. 9. 10.

8. Perperam & sophistice hic *I. O.* facit ista æquipollentia. *Fieri debuisse per Dei Justitiam ut Christus moreretur: & Fuisse Christum, pro se, secundum Dei Justitiam Morti obnoxium seu reum mortis.* distant illa toto cœlo.

9. Thesis orthodoxa illam habet ἀξίωσιν; Christum, quandoquidē libere se stiterat Sponsorem & Fidejussorem pro nobis, vadimonium explere non potuisse, absque illius naturæ assumptione, ex cujus viribus creatis Deus veteris Fœderis conventione flagitabat cultum spiritualem, & perfectam charitatis obedientiam: & cui infligi poterat pœna mortis homini transgressori denunciata: Atque revera assumpsisse Christum naturam illam, per quam satisfieri poterat divinæ justitiæ, seu quæ ut creatura creatori

ſubjici poterat, ſub humanæ obedientiæ Lege, ad eadem officia charitatis, quæ homini imperata erant; & ad pœnæ maledictionis homini debitæ perpeſſionem.

10. Fruſtra Theſin hanc, *Per Dei Juſtitiam debuiſſe fieri ut moreretur Chriſtus*, evertere conatur, *I. O.* locis jam indicatis. hoc argumento: *Quia mortuus eſt Chriſtus ex Gratia Dei & Charitate magna: Et quia non ſit hoc ſecundum juſtitiam, ut quis mori debeat, qui non deliquit. Sed quando talis pro alio moritur, eſt illa demonſtratio gratiæ & charitatis magnæ.* Neque enim aſſerimus, hoc ex Juſtitia eſſe ut quis mori debeat qui non deliquit, Sed hoc vindicamus Juſtitiæ, quod is qui peccatum bajulat, etiam pœnam ſuſtinet: qui quidem ultro pro peccatoribus vadimonium obiit, ac in ſe recepit ſe Juſtitiæ ſatisfacturum.

11. Quamvis ergo Chriſtus per Carnis ſuæ originem non erat morti obnoxius, ut ſanctus conceptus & natus: per finem tamen deſtinatum Incarnationis iſtum, ut in carne & anima ſuſciperet in ſe debitum noſtrum, ut ſponſor noſter; fieri debuit ſecundum Dei juſtitiam ſatisfactio, & non tantum

ſecundum Gratiam & Promiſſiones antegreſſas.

12. Eſt autem argumenti iſtius ex Antitheſi Gratiæ & Juſtitiæ ſolutio iſta: Conciliari in Mediatoris Chriſti morte optime demonſtrationem Gratiæ & Charitatis ſummæ, cum *demonſtratione Iuſtitiæ*: Quia Chriſtum tangit hæc, illa nos.

13. Quamvis ergo ad demonſtrationem gratiæ & charitatis ſummæ Chriſtus pro nobis mortuus eſt: expreſſe tamen Apoſtolus docet *Ad demonſtrationem Iuſtitiæ* conſtitutum propitiatorium in ſanguine Chriſti Ro. 3. 24. 25. 26. atque idem confirmat alibi dicens Mortem & Sacrificium Chriſti cruentum neceſſarium fuiſſe: quia abſque ſanguinis fuſione non fit remiſſio peccatorum. Heb. 9. 16—— 22. Et Juſtitiæ rigorem notat illud: Qui Filio proprio non pepercit Ro. 8. 32. condemnavit peccatum in carne, v. 3. factus eſt pro nobis maledictio. Gal: 3. 13.

14. Gratiæ autem & Charitatis ſummæ demonſtratio illuſtris eſt in eo, quod nobis Deus pepercit, neque de nobis illud ſtatuit, Anima quæ pec-

ca-

cavit ipſa morietur : Ezech. 18. 4. adeo ut ipſi non veniamus in judicium : Joh. 5. 24. & nulla nobis ſit condemnatio Ro. 8. 1. Quin ultra, quod dignetur Deus nobiſcum inſtaurare fœderis ſocietatem, citra ullius juſtitiæ quæ in nobis hæreat intuitum antecedentem. Tit. 3. 5.

15. Illuſtrior autem hoc ipſo eſt Dei Legiſlatoris gratia, Quod nobis donarit ipſe Filium proprium fœderis ſponſorem, eique in noſtri gratiam non pepercerit: Deinde quod nos voluerit non tantum liberari per Chriſtum à ſervitute illa qua metui mortis per omnem vitam eramus obnoxii Heb. 2. 15. ſed inſuper nos denuo erexit in ſpem novam, & exſpectationem vitę æternæ cœleſtis, quæ eſt illa gratiæ exuberantia, de qua Apoſtolus loquitur Ro. 5. 15. 17. 21. & 6. 23. Tertio quod ipſe nos confirmet in Chriſtum & obſignet. 2. Cor. 1. 21. 22.

16. Porro in ſponſore Chriſto, Gratiæ Chriſti demonſtratio eſt, in voluntaria pro nobis exinanitione, qua ipſe cum dives eſſet pauper pro nobis factus eſt, 2. Cor. 8, 9. Phil. 2. 4.

2. 4——12. 2. Quod mercedem illam quam ipse acquisivit merito suo, nobis Testamento legavit in morte sua. Heb. 9. 15. 16, 17. cum Luc. 22. 29. 30.

17. Ex hac Gratiæ Christi analysi liquet propter *demonstrationem Justitiæ*, in sponsore Christo pro nobis punito, uberiorem esse demonstrationem Gratiæ & Charitatis summæ: itaque frustra esse quoscunq; qui obtentu Gratiæ oppugnant veritatem Satisfactionis Christi, quia scilicet nulla sit gratia, ubi est demonstratio Justitiæ secundum Legis rigorem.

18. Illustrior inquam & uberior est misericordis Gratiæ demonstratio, eo nomine, quod non donet nos Deus ejusmodi remissione peccatorum, quæ penitus destituta sit omni gloriatione, quippe non impleta, neque à nobis, neque pro nobis, fœderis violati conditione: sed tali quę conjunctam habet gloriationem contra judicium, titulo dignitatis & meriti Christi nobis imputati Iac. 2. 13. Apoc. 3. 4. Matt. 5. 7. cum Prov. 21. 21. 1. Cor. 1. 31. &c.

DIS-

DISPVTATIO IIX.

DE
Effectis Vnionis Hypoſtaticæ, in Chriſto Mediatore.

1. DE Deitate Chriſti Patientis & Reſurgentis actum *Diſputatione* VII. in qua aſſeruimus Deitatem Chriſto Patienti & Reſurgenti illibatam minimeque imminutam: iſtius Diſputationis Theſis ultima 15. eſt hujus loci, qua breviter hoc aſſertum, "Apoteleſma Redemptionis noſtræ non conſtare ſola paſſione ex infirmitate, ſed etiam glorioſa perpeſſionum victoria: atque hanc ob cauſam intercеſſiſſe Vnionem hypoſtaticam duarum in Chriſto Mediatore naturarum, ut idem qui ſecundum carnem ſuſtineret paſſiones, eaſdem ſecundum Deitatem vinceret & triumpharet, ſui ipſius ex mortuis excitatione,

2. De Effectis Vnionis Hypoſtaticæ analogis hic dicendum explicatius; ad illuſtrandam Mediatoris Chriſti gratiam, quæ nulla eſſet ſi, ex Anabaptiſtarū hypotheſibus jam confutatis, Media-

Mediator Christus, seu naturâ, seu per Deitatis imminutionem, nihil esset supra hominem mortalem, qui unicam tantum in se habuisset vitam illam quam in mortem tradidit; ac mortuus nequivisset suis viribus se ipsum vivificare.

3. Quamvis ergo ad nostri Redemptionem, debuit Mediator Christus fieri Caro & Frater noster Joh: 1. 14. Heb. 2. 11. &c. Tamen extra Unionem Carnis hypostaticam, cum Spiritu Deitatis Christi vivificante, Caro non prodesset quidquam: Joh. 6. 63. Adeoque quamvis Fratrum primogenitus foret, Donorum Spiritualium & Sanctitatis prærogativa; Tamem ex hypothesi φιλὸς ἄνθρωπος qui frater tantum esset, destitueretur illa personæ dignitate, quæ ad conficiendum redemptionis omnium in morte unius λύτρον necessaria fuit. Psal: 49. 8. 9. cum Act. 20. 26.

4. Deinde considerata sola perpessionis infirmitate, & solo dolorum sensu in carne seu natura humana, de qua loquitur Apostolus. 2. Cor. 13. 4. illa quidem Mediatorem miseriæ & maledictioni nostræ implicat; sed neutiq;

tiquam nos ab illa evolvit, donec ipſe nos liberaturus ſe ipſum liberaverit illa infirmitate, per efficaciam roboris potentiæ ſuæ.

5. Perabſurda hic eſt matęologia (quæ verbis Apoſtoli, Crucifixus eſt ἐξ ἀσθενείας ex infirmitate, contradicit,) quando J. Outerman dicat, *Perpeſſionem mortis fuiſſe in Chriſto, magnum aſſumptum robur divinæ omnipotentiæ.* Art. 7. §. 32. —— 37. Nos vero credimus fuiſſe magnam aſſumptam infirmitatem humanæ fragilis naturæ, ſupra quam ſi ędificata eſſet fides, abnegato omnipotentis naturæ divinæ non aſſumpto ſed æterno robore in Perſona Chriſti, inanis foret & maledicta. 1. Cor. 15. 14. cum Jere. 17. 5.

6. Præter geminum effectum illud jam dictum, videlicet Perſonæ redemptoris axioma tantum, ut Unus pro omnibus præſtet ſufficiens λύτρον, quippe ipſe unus ſupra omnes Dominus è cœlo, Ioh. 3. 31. 1. Cor. 15. 47. 2. Cor. 5. 14. Deinde Robur efficax ad ſui ac noſtri liberationem, ex omni infirmitate; Meditanda porro ſunt ſequentia in Chriſto Mediatore effecta Unionis hypoſtaticæ, ſine quibus

bus salva esse nequit Mediatoris Gratia, qua roborandum fuit Fœdus Novum. 1. Primum esto quod Christus ut θεάνθρωπος nullam habuit indigentiam necessariam, sed tantum voluntario assumptam: adeoque nullo obedientię suę merito opus habuerit ad ditandum se ipsum: aut aperiendum humanæ suæ naturæ introitum in gloriam.

7. Confirmant affirmationem nostram Scripturæ testimonia quibus dicitur ipse ut Filius hæres omnium Heb. 1. 2. atque illam gratiam nobis fecisse, quod Dives existens propter nos pauper factus est, ut nos per ipsum ditescceremus. 2. Cor. 8. 9. Non quæsiviſſe suum sed nostrum lucrum. Phil. 2. 4. 5. 6. &c. Nec acquisiviſſe gloriam quam non habuerit apud Patrem antequam mundus esset. Joh. 17. 5.

8. Torquet hic locum illustrem. 2. Cor. 8. 9. *I. O. Art. 7. §. 7. 6. & 37.* Quasi non propter permanentem in ipsa incarnatione Deitatem gloriosam & immortalem, Divitem pronunciet Apostolus Christum incarnatum τῇ κτίσει, vero hereditatis jure. Quid ergo? Quasi

propter

propter originem carnis ex cœlo, gaudio frui, & cœlum occupare potuerit, ac sibi vindicare regnum cœlorum. Sunt isthæc Chimæræ.

9. Frustra huc advocat *I. O.* locum 1. Cor. 15. 45. ubi Christus postremus Adam dicitur *factus in spiritum vivificum.* Nequaquam n. Corpus Christi seu natura humana dicitur facta in Spiritum vivificum: Sed Homo Christus per Unionem hypostaticam Carnis cum Deitate dicitur factus Spiritus vivificus, id est, Vivens omnisque vitæ fons Deus ipse. Atque hoc illud est quod asserimus: potuisse Christum (non minus quam se ipsum mortuum vivificavit, ut ipse fons vitæ,) inde à primo incarnationis momento, carnem suam beare vitæ æternæ & gloriosæ possessione & fruitione, nisi aliud flagitasset nostri redemptio, & introductio in vitam & gloriam.

10. II. Alterum prælentis considerationis effectum Unionis hypostaticæ; qua supra Adamum primum excelluit Homo Christus Jesus, fuitque ad fœdus roborandũ dignior, istud est, quod fuerit ipse ἀναμάρτητος & impeccabilis, seu nulla peccati tentatione se-

seduci potuerit. quod, siquidem nobiscum vere sentiunt Anabaptistæ, viderint quomodo tueantur solide ex Chimærica hypothesi de *cœlesti materia & origine carnis Christi, per quam scilicet in Essentia humana servarit naturam divinam*, illam quam Justitiæ Sanctitatis & Innocentiæ qualitatibus definiunt, *Conf. oppos. Faukel. pag. 117. vide Disp. V. Thes. 8.*

11. Solide autem ex Unione Hypostatica naturę Christi humanæ cum divina demonstrari Christum Hominem ἀναμάρτητον, liquet. 1. Quia posita illa propositione. *θεάνθρωπος potest peccare aut θεάνθρωπος peccat*, verificaretur blasphemia illa *Deus potest peccare*; & consequenter etiam altera illa, *Deus potest merito suo damnari*. Quia propter communicationem idiomatum, quod de Persona θεανθρώπου affirmatur fas est enunciare cum ejus denominatione ab utralibet natura. Neque in solo schemate dictionis sita erit impietas blasphemię, sed revera redundabit, in suppositum divinum, peccatum humanæ naturæ assumptæ.

12. III. Eatenus quoque contradictionem implicat peccatum cum Unione hypostatica, quia hæc dicit ne-

necessario naturæ utriusque Amicitiam intimam, & arctissimum pacis vinculum: ex peccato autem resultat Inimicitia adversus Deum: & peccator qua peccator inimicus Dei est. Ro: 8. 7. & 5. 10.

76. 13. III. Supponitur autem arctissimum illud Pacis vinculum hic indissolubile propter Unionis hypostaticæ τὸ ἀχώριστον, quod non patitur ut ullum fiat naturæ alterius ab altera divortium: Peccatum autem dicit divortium & dissolutionem amicitiæ inter Deum & hominem Esai. 65. 2. Peccante ergo ex hypothesi Christo, vel affirmandum contra fidem Catholicam Christum potuisse excidere Gratia Unionis: vel dicendum mansuram fuisse Unionem hypostaticam, quamvis ingressa naturarum inimicitia.

14. IV. Flagitat quoque necessario ἀναμαρτησίαν impeccabilitatem Christi Mediatoris, ipsa Christi Unctio per Spiritum S. ipsi datum οὐκ ἐκ μέτρου hoc est non dimenso aliquo modulo, quo nobis distribuitur grátia Spiritus S. Joh: 3. 34. Quia enim Unctio illa extra controversiam dicit Infallibilitatem in Doctrina Veritatis & Fidei

dei ac pietatis: absque qua nulla esset Unctio Christi in Prophetam Summum: Consequens est ut Unctio Christi in Regem Spiritualem quâ talis dicat impeccabilitatem, in exemplo Sanctitatis & justitiæ quo præiret salvandis salutis ἀρχηγὸν & Dux. Esset enim nimis manifesta Unctio ἐκμίσης ista, qua non pariter utrobique esset ἀναμάρτητος Christus & in Doctrina & in Vitæ exemplo. Vide *Disputationem nostram Selectam I. de Christo Deo mentiri nescio & Homine impeccabili contra hypotheses Remonstrantium in Apologia Confessi: cap: 17.*

COROLLARIA.

I. Unio hypostatica non efficit Carnem seu Humanam naturam Christi Adorabilem.

II. Christus quamvis per Unionem hypostaticam nihil necesse habuit sibi mereri, tamen sine periculo affirmatur sibi & nobis meritus justificationem & glorificationem.

III. Non justificamur Justitia Christi divina sed humana, atque hæc

sola & in solidum nobis imputata nos constituit justos coram Deo.

Disputatio. IX.

De *Electione, & Iustificatione, gratuita.*

1. Vidimus Disput: VI. Anabaptistarum hypotheses de Hominis lapsi instauratione adeo universali, ut scilicet *nemo, ex naturali semine ejus ab Adamo* instaurato *genitus propagatus & natus secundum naturæ cursum, nascatur cum peccato, aut mortis æternæ reus:* Item; *ut Homo nascatur naturaliter particeps gratiæ Dei in Christo*: Quam assertionem asserimus asserimusq; contradictionem implicare cum Scripturę hypothesi de Regeneratione; & pugnare cum primæ promissionis gratiæ concepta formula; & cum gratiæ œconomia, seu dispensationis experientia.

2. Gangrænam facit ipsorum Theologia in Doctrina de Electione & Iustificatione gratuita, de qua in præsens

sens dicendum. De Electione quidem divina, ad μεθοδείαν τῆς πλάνης seu ad deceptionem idiotarum, sic loquuntur *Confess. oppos. Faukel. pag. 148.* ut videri possint contradicere Electioni ex prævisa fide bonis operibus & virtutibus. Verum isthoc stratagemate jugulant æternam personarum singularium Electionem determinatam ad salutem; quam volunt *demum fieri, quando Christi beneficia credentes amplectuntur, & fideliter servant. pag. 148. 149.* Atque sic *nullam esse Electionem* æternam aut *decretum de danda personis certis à Deo salute, factum alio intuitu quam fidei, & principaliter perseverantiæ in fide præstitæ pag. 149. 151.* Atque sic necessaria consequentia nullos agnoscunt ad salutem electos in infantia morientes, ac nullos ante mortem adultos; nulli enim nisi adulti beneficia Christi fide amplectuntur: nec ante mortem censentur ab adultis beneficia Christi fideliter custodita.

3. Orthodoxa assertio contraria est: Electionem divinam ita gratuitam esse, ut decreta sit salvandis salus & vita æterna, omnibus, seu infantibus, seu adultis, danda non alio pacto quam

ſolo & unico intuitu Meriti Chriſti ipſis imputandi uniformiter, ſive moriantur in infantia, ſive ſub veræ reſipiſcentiæ & converſionis initia exceſſerint ex hac vita, ſive regenerationi ſuæ, cum juſti temporis perſeverantia, & cuſtodia fideli beneficiorum Chriſti, ſupervixerint.

4. Confirmant hanc aſſertionem Scripturæ teſtimonia quæ perſonarum ſingularium Electionem ſecundum Dei propoſitum, & diſcretionem à damnandis, vindicant Dei miſericordiæ ſoli in ſolidum. 1. Cor: 4. 7. Eph: 2. 8. 2. Tim: 1. 9. Pſal: 100. 3. cum Matth: 25. 34. Luc: 10. 20. & 12. 32. Ioh: 6. 37. Act: 13. 48. & 18. 10. Rom. 8. 29. 30. & 9. 23. 24. Epheſ. 1. 4. 5. & 11. Phil. 4. 3.

5. Confutant autem difformitatem illam Electionis adultorum, & in infantia morientium; nuper credentium, & juſto tempore perſeverantium in fide: viventium & mortuorum in fide; confutant inquam difformitatem illam Scripturæ; quæ communem faciunt ſalutem fidelibus & liberis ipſorum in infantia morientibus. Act. 2. 39. & Geneſ. 17. 7. aſſeruntque mortem

tem nihil præscribere solidæ consolationi morientium in vera & seria fide ac resipiscentia; quamvis forte sera. Rom: 14.7.8.9. 1. Cor: 3. 21.22. Rom: 8. 38.39. cum Ezech: 18. 32. & 33. 11. Ac jubent credentes & resipiscentes, ex quo vere resipuerunt & crediderunt, τελείως plene perfecte sperare in eam quæ ipsis exhibetur gratiam & salutem 1. Pet: 1. 13.

6. De Justificatione gratuita doctrinam Ecclesiarum Reformatarum istis convitiis incessunt Anabaptistæ *Prædicare nos latam viam, quando asserimus* quod Scripturæ usus confirmat, *Justificationem esse absolutionem rei, & imputationem justitiæ, qua Deus, absque operum nostrorum intuitu, nobis imputat ac donat Justitiam ac indumentum Christi. V. L. Defens: part: 3. pag: 48.*

7. Illi autem contra Scripturas dictant *Justificationem esse* (vernaculâ ὁμωνυμίαν) **een rechtvaerdighwordinge ofte vroom-wordinge**: *formationem ad justitiam & pietatem*: adeoque *acceptionem beneficii, quod sit Justificationis causa meritoria, non in eo sitam quod homini imputetur Justitia Christi: sed quod fidelis homo quando Justus efficitur particeps sit*

Justitiæ Christi. V. L. Defens: ibidem. Explicant se *auctores Confess: oppos: Faukel:* istis hypothesibus: *Gratiam Euangelii non collatam gratiam esse, sed oblatam: qua homines non participant citra suam cooperationem pag: 190. 191. Ita connexa esse in negotio Justificationis, fidem & bona opera; ut in eo unum absque altero nihil sit. pag. 94. adeo ut etiam bona opera sint media necessaria Justificationis acquirendæ pag. 195.*

8. Refelluntur isthæc, affirmatione Apostoli: Justificari hominem per fidem absque operibus legis Ro: 3. 28. Sicut etiam David pronunciat beatum eum hominem cui Deus imputat justitiam absque operibus Ro. 4. 5. atque ea propter ita gratuitam esse Electionem; ut si per gratiam sit non sit jam ex operibus; alioquin gratia jam non foret gratia. Sin ex operibus jam non ex gratia; alioquin opus jam non est opus. Ro. 11. 6. Ac pariter gratuitam esse Justificationem, ex fide Christi & non ex operibus legis. Gal. 2. 16. Atque omnino Deum nos salvare non ex operibus justis quæ fecerimus nos; sed ex sua misericordia Tit. 3. 3. 4. 5.

9. Quare etiam Justificationis objectum, Homo Justificandus coram Deo,

Deo, definitur ab Apostolo, (ex se, scil. donec censeatur in Christo novus homo) Impius. Ro. 4. 5. Deo inimicus Ro: 5. 10. Unde recte Justificatio impii dicitur: Quamvis absolute citra Justitiæ Christi imputationem, Deus impium justificare nequeat, quia Judicium Dei est secundum veritatem. Ro. 2. 2. cum Ex. 23. 7. 34. 7. Num: 14. 18.

10. Vindicandus locus ἰακωβικὸς Jacobi, cap. 2. v. 24. qui in Anabaptistarum *Confess. opposs. Faukel. pag. 194.* obtenditur: *Videtis igitur ex operibus justificari hominem; & non ex fide tantum.* De cujus loci cum doctrina Pauli conciliatione, quia desperarunt, post Lutherum, nonnulli etiam ex nostris, privata opinione, existimarunt laborare auctoritatem Epistolę Jacobi Canonicam: sed perperam: & contra communem Ecclesiarum Reformatarum consensum.

11. Conciliatio optima se offert ex totius Epistolæ Jacobi scopo, qui est τὸ δοκίμιον τῆς πίστεως Probatio fidei in tentationibus, illorum qui jam ex Fide Deum invocant, à Deo regeniti, per fermenem insitum. cap. 1. vers.

2.1. 6.18.21. Quam fidei probationem ex tentatione perseverāter tolerata, Justificationem ex operibus vocat Iac.c. 2.v.21.24.25. expectandam vere fidelibus, Abrahami & Rachabæ exemplo, quamvis jam Iustificatis ex fide.

12. Verba ergo ista *Non ex fide tantum* (quæ ἐναντιοφανῆ sunt seu contraria videntur istis *Ex sola fide*) conciliantur, per distinctionē Iustificationis geminæ, ex quibus altera in exemplo Abrahami manifestotemporis intervallo antevertit alterā, tanto nimirū quantū intercedit, inter primam Abrahę vocationem qua ipsi datū est τὸ Credere, in præputio, & oblationē Isaaci. Gen.c. 22. Priori illa vere docet Paulus Abrahamū Iustificatum non ex operibus sed ex sola fide: Posteriori illa priorem sequuta, quia Abraham jam ante justus, Iustificatus est adhuc: vere pronunciat Iacobus Abrahamum justificatum ex operibus, non ex fide tantum: id est, non tantum priori illa ex fide sola, sed etiam hac ex operibus Iustificatione.

13. Est autem prior illa ex Sola Fide, Iustificatio ex causa, qua constituimur Iusti, sola Iustitia Christi in soli-

ſolidum nobis imputata, & Fidei manu ab adultis apprehenſa: quia ſola illa eſt cauſa Iudicii divini, quo nos à peccatis abſolvit & juſtos cenſet Deus, quando ipſi initio conciliamur Fœdere gratiæ.

14. Altera ex Operibus Iuſtificatio eſt ex effectis Fidei, ut Signis veræ communionis cum Chriſto & univerſali juſtitia ejus: quę conſequenter non à priori conſtituit nos juſtos, ſed juſtos demonſtrat à poſteriori: Hanc Juſtificationem ut in tentatione experti ſunt Abraham & Rachab, atque in hac vita præoccuparunt; ſic exſpectant illam in altera vita, die illo ultimo juſti judicii Dei, omnes illi qui, ante mortem ex juſtitia Chriſti coram Deo juſtificati, poſt reſurrectionem ex mortuis, ex vita hic peracta juſti pronunciabuntur coram toto mundo per judicem Chriſtum: illud enim extremum judicium Chriſtus ipſe ſalvandorum reſpectu Iuſtificationem vocat: Matth. 12. 36. 37. Ex ſermonibus tuis juſtificaberis: ſcilicet ut judicii argumentis, & juſtitiæ fructibus: Atque ſic Iacobo cum veritate; & cum ipſius Chriſti verborum ὑποκρίσει optime

convenit: salva Pauli affirmatione de Iustificatione ex Sola Fide.

Disputatio X.

De *Vocatione efficaci.*

1. EX hypothesibus heterodoxis de Peccato Originis, & de Instauratione universali hominis lapsi, ac nulla Electione vere gratuita: Hæc consequenter Thesis est Anabaptistarum de Vocatione ad salutem efficaci: *Quando Deus hominem vocat, per Euangelium ex Fide salvandum: Posse homines constitutos adhuc in morte peccati, audire vocem filii Dei, qui Vita est: & alienatos à Deo Patre ipsorum, destitutos pane cœlesti & cibo vivificante animas, in mediis porcorum siliquis, sentire famem suam: & derelicto fonte aquæ vitæ, per experientiam sentire sitim suam:* Adeoque *habere non tantum potentiam & libertatem eligendi vitam & amplectendi beneficia oblata: sed posse etiam à Deo precari ad vitam necessaria: Eorum autem non fieri participes, quin potentiam illam sua cooperatione ad*

Gra-

Gratiam accipiendam exſtruunt. Confeſſ. oppoſſ. Faukel. pag. 190. 191.

2. Enunciantur illa fere verbis Scripturæ male detortis: & annotantur ad marginem ac producuntur alia loca: quæ in præſens vindicaſſe erit Theſin ipſam refutaſſe: offert ſe primo locus *Ioh. 5. 25. Veniet tempus & nunc eſt, quum mortui audient vocem Filii Dei, & qui audierint vivent.* Verum non magis hinc confirmatur poſſe mortuos in morte peccati adhuc conſtitutos, ſpiritualiter audire vocē Filii Dei: quam ex verſu 28. confirmari queat, audituros in ſepulcris vocem Filii Dei mortuos, ante corporum vivificationem. Utrobique autem verba Chriſti accipienda ſunt de mortuis quâ ſpiritualiter quâ corporaliter vivificatis. Neque aliud probant verba illa: qui audierint vivent: qui vivificationem primam ex morte ſpirituali non exprimunt, ſed ſupponunt ac cumulant promiſſione conſequentis vitæ æternum perennandæ.

3. Fruſtra quoque huc adducunt locum *Geneſ. 3. 8. 10. de Adamo poſt admiſſum peccatum audiente Deum vocantem:* ibi enim nihil expreſſum eſt præ-

ter

ter vocem auribus corporeis ab Adamo auditam: At quis negat Hominem ſpiritualiter mortuum poſſe audire auribus corporis? Interim qui ſic pollent auditu non habent aures ad audiendum, iſtas quibus opus eſt ad reſurrectionem ex morte peccati.

4. Non ex Parabola *Filii prodigi Luc. 15. 14. 16. 17.* hoc habetur; ſenſiſſe illum ſano ſenſu miſeriam ſuam, aut deſideraſſe appetitu ordinato, atque eſuriiſſe panem paternum, quando ipſi vorandæ primo fuere porcorum filiquæ; ſeu ſecundum Anabaptiſtarum gloſſam *in impia praxi peccati occupatum.* Contrarium affirmant verba illa initio *verſus 17. Quum autem ad ſe rediiſſet.* Et aperte, ante ſanatam mentem, non paternum panem ſed *porcorum ſiliquas deſideraſſe dicitur, ut illis ventrem impleret. verſ. 16.*

5. *Iere. 2. 10.* verbis illis de *derelicto fonte aquæ vivæ*, ne γε῀ quidem vel præmiſſum eſt vel ſubnectitur, unde exſculpi poſſit Hominem derelicto fonte aquæ vivę, alienatum à vita Dei, poſſe ſitire ſalutem & vitam: verum ſubnectitur verſu 19. quæ ipſi maledictio ſit exſpectanda.

6. Ad-

6. Adducunt porro fruſtra Pſ. 107. 5. 6. 7. ubi *de corporali fame & inedia*, atq; ex eadem liberatione divina, ſermo eſt: ſicut mox verſ. 17. 18. 19. de morbis & infirmitatibus lethalibus. A quo ſenſu literali ſi veniendum ad allegoricum, aut myſticum, habebimus pro vera eſuritione, *nauſeam & cibi faſtidium*, in ipſa inedia.

7. Pariter fruſtra adducunt locum Amos 8. 11. 12. ubi ſpiritualem *famem & ſitim* Deus non promittit in benedictionem, ſed comminatur in maledictionem, cui ſuccumbant in mortem. verſ. 13. 14. Enimvero probanda erat ſalutaris & vitæ prognoſtica fames & ſitis, illa quam beatitudinis characterem facit Chriſtus Matth. 5. 6.

8. Notant quoque Deut. 30. 11. de quo reſpondimus Diſp. v 1. Theſ. 12.

9. Locus porro Joh. 1. 11. 12. nihil facit pro Anabaptiſtarum Theſi: Dicuntur quidem *Chriſtum accipere* ſeu amplecti, qui in ipſum credunt: ſed non iſtis viribus, quas reliquas habent adhuc mortui in peccatis. Verum vendicantur vires illæ verſu 13. regenerationis dono, excluſa liberi arbitrii

cooperatione: dicuntur enim: *Non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo geniti*: Quæ verba habent Antitheſin generationis carnalis, & regenerationis ſpiritualis illam: quod illic intercedat, & benedictionem divinam antecedat, voluntas carnis & voluntas viri generantis liberos: hic autem ſolus regeneret Deus, nullam voluntatem humanam ſubſequens: ſed ipſam præveniens: Quandoquidem enim voluntati carnis aut viri, ſoli in ſolidum, minime vindicari poteſt generatio carnalis: ſed ipſa quoque cenſetur Dei donum Pſal. 127. 3. cum Geneſ. 30. 2. Antitheſis ergo alia eſſe nequit hic, quam iſta: Carnalem generationem nec Deo nec homini ſoli in ſolidum tribui poſſe, quia generantis viri & carnis voluntatem ſequitur divina benedictio: regenerationem autem Deo in ſolidum vindicandam.

10. Nihil porro efficiunt ex illis Capernaïtarum verbis Joh. 6. 34. *Domine da nobis ſemper panem iſtum*, neque ex iſtis mulieris Samaritanæ Joh. 4. 10. *Domine da mihi aquam iſtam, ut non ſitiam.* Utrobique ſubeſt carnalis ac profana verborum Chriſti ſubſannatio:

tio: qua carnaliter acceperunt, quæ ſpiritualiter intelligere non poterant: Ut cum ratione inſaniant qui hinc ſatagunt exprimere ſalutarem famem ac ſitim panis aut aquę cœleſtis in media morte peccati.

11. Manet ergo inconcuſſa demonſtratio efficacis vocationis divinæ ad ſalutem abſque ſynergia ſeu cooperatione humani arbitrii, ex Scripturę illa affirmatione, Homines eſſe ante vocationem efficacem Mortuos in peccatis. Eph: 2. 1. Col: 2. 13.

12. Adulterant autem Scripturæ Ἀλήθειαν Anabaptiſtę, quando mortis iſtius in peccatis iſtam faciunt periphraſin, *Praxin peccati & impietatis:* Synonyma enim illis ſunt *In morte peccati,* & **In de dadelyckheyt haerer ongoddelyckе ſonde**: Quo myſterio nullos in peccatis mortuos cenſent, niſi actualibus peccatis immerſos: contra Apoſtolum qui nos omnes pronunciat naturâ filios iræ Eph: 23. 13. Atque hoc ipſo impudentior eſt iſta de viribus liberi arbitrii aſſerto: Si etiam in quibuſcunque operariis iniquitatis, illa reliqua eſt libertas & facultas; ut & Æthiops pellem, & Leopardus maculas

las ſuas mutare poſſit: quod Scriptura inficiatur. Jere: 13. 23.

14. Perimunt autem συνεργίαν liberi arbitrii ſeu cooperationem à qua pendeat vocationis divinæ efficacia, infinita Scripturę teſtimonia in quibus illuſtre eſt illud Eph:1.18. 19. quo Apoſtolus affirmat ingenerari nobis fidē illa efficacitate fortis roboris ipſius, quam exſeruit in Chriſto quum excitavit eum ex mortuis: ac, in meditatione vocationis noſtræ ad ſalutem, jubet nos meditari, quæ ſit excellens illa magnitudo potentiæ ipſius in nos jam credentes, qua ſcilicet nos cum Chriſto excitavit ex mortuis Eph:2.1.5.6.

15. Anabaptiſtæ verbis quidem profitentur Fidem eſſe opus Dei in homine & donum Dei: ſed operationem divinam circumſcribunt his cancellis 1. Dare homini intellectum rationalem, & rationis uſum relinquere liberum ad Electionem aut Vitæ aut mortis. 2. Mittere, aut deponere, ac mandare ut prædicetur, verbum ſuum: ut medium quo ad fidem homo adducatur: 3. Augmento Spiritus, illuminare interiorem intellectum, & fidem in homine confirmare. Homini autem

hanc

hanc tribuunt cooperationem. 1. Audire Verbum Dei, scrutari, & in aures intromittere. 2. Convictum judicio rationis verbo assentiri, idque fideliter accipere. 3. Precibus flagitare donum Spiritus S. Confess: oppos: Faukel: pag: 202. 203 204 205. Faciunt ergo Fidei ἀποτέλεσμα, Opus hominis convicti, judicio rationis, exterius tantum Verbo illuminatæ: quod inficiatur Apostolus 1. Cor. 2 4. 5. & affirmat Fidem nostram deberi potentiæ Dei, revelantis per Spiritum suum quę humanitus persuaderi non possunt sapientibus in hoc mundo.

16. Anabaptistæ Confess: oppos: Faukel: pag: 203. ubi Fidem faciunt utriusque & Dei & Hominis Deo cooperantis opus, *Si* inquiunt *Fides esset Opus solius hominis, immerito quoque appellaretur Opus Dei. & donum Dei Ioh: 6. 29. & Col: 2. 12.* Ac Perperam putant in posteriori quidem loco, ullam homini relinqui cooperationem ubi efficaciæ divinæ nos vivificanti ex mortuis cum Christo vindicatur Fidei donatio.

De loco Joh: 6. 29. (quamvis soleat etiam à nostris haberi parallelus, atque hoc Anabaptistæ hic admittant) censemus

mus Christum non vocare Fidem opus Dei sensu isto, quod Fidem in nobis operetur Deus; sed quod τὸ Credere sit opus nostrum Deo acceptum. respondet enim Christus ad mentem interrogantium. Quamvis autem credentes operentur opus Deo acceptum: Operari tamen non possunt illi τὸ credere, donec, citra ipsorum cooperationem, Fidem operationis novis novum principium Deus infuderit.

Disputatio XI.

De Fide Imperata & Donata.

1. Anabaptistarum contra Vocationis efficacis gratiam Achilles est, *Necessario pro Hominis cum Deo synergiam seu cooperationem, in homine effici Fidem: quia absque illa hominis cum Deo cooperatione inane sit & ridendum praeceptum quo Homini mandatur τὸ Credere: nec non omnes monitiones exhortationes & comminationes, ac promissiones quibus munitum est hoc praeceptum: Quod profecto ingens Confusio*

posset

poss: Fuculio. pag. 202. 203. 204. Hic cum Anabaptistis paria faciunt Remonstrantes; *Episcopius in Collegio Disput: quod edidit Festus Hommius Disp: XIV. de Foedere Novo Thes: 3. Conditio quam stipulatur Deus continetur praeceptis Fidei & resipiscentiae. Ineptos autem esse credimus illos, qui haec duo conditionem N. T. esse negant: sed ea aut sub promissis N. T. comprehendunt, aut Habituum vel qualitatum infusarum nomine definiunt, cum habitus & qualitates infusa sub praecepto nullo modo cadere possint.* Nos Fidem Spem Charitatem asserimus, non solis actionibus, sed habitibus ut actionum principiis esse definiendas: Esse autem Habitus vere à Deo infusos.

2. Habitum merito vocamus Fidem & Analogice Spem & Charitatem, praeeunte Scriptura, quae affirmat nos Fidem habere. Matt: 17. 20. & 21. 21. Marc: 4. 40. & 11. 22. Luc: 17. 6. 1. Tim: 1. 19. Jac: 2. 1. 14. 18. Et quidem arcano habendi modo, ut illam videat in nobis solus Deus: *Tu Fidem habes, penes teme ipsum habe coram Deo.* Ro: 14. 22. Qui habendi modus explicatur Habitatione in nobis ejus ipsius. Quae inhabitatio *primum in mente tua*

Loi-

Loïde & matre tua Eunice, perſuaſus autem ſum, quod etiam in te. 2. Tim: 1. 5. Inhabitat autem Fides in nobis ut χρίσμα Spiritus S: ut æquipolleant Habere Fidem, & habere Spiritum Fidei. 2. Cor: 4. 13. Quare etiam Fides vocatur Unctio in nobis manens nos docens omnia. 1. Joh: 11. 10. 27. Minime ergo univoce dicimur Habere fidem & Habere bona opera. Jac: 2. 1. 14. 18. Niſi per bona opera metonymice intelligamus Charitatis habitum, ex quo manant actiones & opera charitatis.

3. Habitum autem Fidei non acquiſitum ſed infuſum aſſerimus hoc argumento, quia Spiritus ſancti unctio & χρίσμα ejus quibus renovamur & regeneramur, à Spiritu S. in nos effundi affirmat Scriptura Tit: 3. 6. atque ſic charitas Dei effunditur in corda noſtra, per Spiritum ſanctum, qui donatur nobis. Rom: 5. 5. ſic baptizamur Spiritu S. quando Deus per Fidem purificat corda. Matt: 3. 11. Act. 15. 9.

4. Aſſertio autem illa *Quod Habitus & qualitates infuſæ ſub præcepto nullo modo cadere poſſunt*, ſi abſit Sophiſtice, falſa eſt: Quamvis enim ſub præcepto

non

non cadat actus Dei infundentis & ingenerantis habitum, adeoque nec existentia habitus infusi ratione illius originis: Attamen non uno modo sub præcepto cadit; & antequam divinitus infundatur, & postquam infusus est. Antequam Euangelice infunditur, præcipitur à Lege pędagogo ut labore & exercitatione acquirendus; donec experiatur homo τὸ ἀδύναγον τῦ νόμου Impotentiam Legis, quâ per carnem infirmata est. Rom: 8. 3.

5. Postquam autem Spiritus sublevans infirmitatem nostram Fidem infudit, rursus sub prędceptum cadit habitus Fidei, quatenus conservandus & fovendus est, meditationibus perpetuis & jugi exercitatione, ut applicari possit illud Pauli; Depositum serva. 1. Tim: 6. 20. & Ne negligito Donum quod in te est. 1. Tim: 4. 14. Hoc modo exserte præcipit Christus ἔχετε πίστιν Θεῦ Habete Fidem in Deum Marc: 11. 22. & Iacobus vetat habere Fidem ἐν προσωποληψίαις cum acceptione personarum. Iac: 2. 1.

6. Enimvero esto, ipsi habitus & qualitates infusæ nullo modo cadant sub præcepto: an inde efficietur aut non

non esse infusos habitus; aut si infusi sint, non cadere sub præcepto actiones per quas illi se exserunt? Hoc illud est quod probandum erat, sed minime probatur.

7. Quid? quod ipsa illa opera Fidei Spei & Charitatis puta τὸ Credere τὸ Sperare τὸ Diligere, quibus per nos mandatis Christi obedientia præstatur, merito comprehendantur etiam sub promissis N. T. quia Scripturæ affirmatione etiam Dei χάρισμα seu gratia gratis data est τὸ πιστεύειν, credere: τὸ πάσχειν pati Phil. 1. 29. Et Deus dicitur pro beneplacito suo in nobis ἐνεργεῖν efficere, & τὸ velle & τὸ efficere Phil: 2. 13. Et expressæ sunt illæ Novi Testamenti formulæ, quibus ipsa resipiscentia, exercenda in peccati mortificatione & bonorum operum studio, promittitur, tanquam donum Dei, quod ipse operaturus sit in nobis, ut isthoc signo & argumento solida sit consolatio. Iere. 32. 40. Esai. 59. 2. 1. Pet. 1. 4. 2. Pet. 1. 3. 1. Ioh. 3. 9. & 5. 18.

8. Quamvis ergo Credentes dicamur Operari opus Dei, id est Deo acceptum. Ioh. 6. 28. 29. Neutiquam tamen per nostram cum Deo nos regenc-

generante cooperationem efficimur credentes: Sed, ex quo Deus absque nobis nos fecit credentes, operamur illo opere Fidei salutem nostram, non per modum causæ principalis sociæ, sed per modum causę instrumentalis subservientis divinæ operationi, qui, ex quo nos insevit Christo, fruendam nobis donat jugiter consolationem conscientiæ, in donata & imputata Justitia Christi.

9. De Præcepto ergo πίστευετε *Credite* sic censemus, Legem esse, non Euangelium, quæ operi præscribit normam & modulum, & secundum quam judicatur Fides robusta aut imbecillis: atque hac in parte sitam esse Legis pædagogiam, quæ Euangelio ancillatur: Adeo ut præceptum illud, quatenus urget debitam operis perfectionem, materiam ministret non Spei sed Desperationi; quemadmodum Lex reliqua est Occidens litera: Spem autem gignit, quatenus nos vocat ad propriæ Justitiæ abnegationem, & exhibet ejusmodi objectum operationis Fidei nostræ, in quo præexistit solidum, consolationis fundamentum, etiam contra ipsam Fidei imbecillitatem,

& operis Fidei imperfectionem.

10. Euangelice ergo accepta vox illa, *Crede & Fidem habe*, æquipollet consolationi qua datur Fidei πληροφορία, ut tuto recumbat in Gratiam Christi anima salutem sitiens, juxta illud *Ne metue solummodo crede Marc: 5. 36.*

11. Ad ἐπιφωνισμὸν autem, seu ut os obthuretur quibuscunque, qui hęc existimant *ridicula* esse; *Neque posse fieri per Dei sapientiam, ut quod nobis mandatur tanquam opus nostrum idem in nobis efficaciter operetur ac gratis nobis donet Deus, aut se operaturum & donaturum promittat:* abunde sufficit unus ille prælustris locus Marc: 13. 11. ubi sic discipulis suis loquitur Christus: Quum autem vos traditos durerint, ne ante soliciti estote, quid dicturi sitis, neque meditamini, sed quidquid datum vobis fuerit illo momento, id loquimini: non enim estis vos qui loquimini sed Spiritus Sanctus: Præceptum & Monitio inest verbis istis *Id loquimini:* Promissio adest tam illustris, ut nihil dici possit ultra, qua independenter ab ipsis, in ipsis & per ipsos, operatio Spiritus S. promittitur. Impius tamen sit qui dixerit non loqui Chri-

Christum *ut sapientem monitorem decet.*

12. Promissio autem illa quamvis restricta foret ad *miraculosam effusionem donorum* illorum quibus Apostoli indigebant ad Apostolatus functionem: Tamen demonstraret, non implicare contradictionem cum Dei aut Christi monitoris sapientia, *Deum hoc quod homini præcipit in homine operari, per determinantem efficaciam.*

13. Enimvero certissimum est; illa miraculosa Effusione Spiritus S. auctam & confirmatam Apostolis consolationem Fidei, ad obeundum intrepide & perseveranter martyrium pro Christo; in quo per ipsos loquutus est Spiritus Fidei, ille per quem omnes credentes ut credunt ita loquuntur 2. Cor: 4. 13. Quod confirmat ipsa Christi promissione repetita, nomen Consolatoris Spiritus Joh. 14. 16. 26. & 15. 26. & 16. 7. Consolationes autem Apostolis datas; omnibus credentibus usu communes esse docet Apostolus. 2. Cor. 1. 4.

14. Concludimus, perimi meliores illas promissiones quibus novum Fœdus sancitum est: si tantum imperatur & non donatur Fides & Fidei obedi-

entia. Meliores enim promissiones nullæ sunt in Novo Fœdere, neque certiores quam fuere in Veteri, si per illas non hoc averruncatur, ne confœderati non persistant in Fœdere, aut promissione excidant. Ob hoc enim asserit Apostolus locum quæsitum Novo Fœderi, quod confœderati non persteterint in illo fœdere. Heb. 8. 7. 8. 9. cum Ro. 8. 1.

Disputatio XII.

De

Differentia Legis & Euangelii.

1. Communis est Anabaptistarum Theologiæ, cum Theologia *Dominicanorum & Iesuitarum*, nec non *Socinianorum*, & *Remonstrantium*, gangræna hæc, quod veram Legis & Euangelii differentiam pervertunt, isthac hypothesi; *quod Euangelium sit Nova Lex Novi Legislatoris Christi, quæ successerit Veteri Legi Moysis Legislatoris Veteris.* Cui hypothesi obviam itum est in Ecclesiis Euangelicis, orthodoxa assertione ista: *Nisi nomen Legis gene-*

ra-

raliter pro doctrina acciptas, Euangelium Christi proprie non esse Legem: Nec præcepta Legis quæ continentur in scriptis Apostolicis esse novam legem, sed veteris Legis juxta sententiam Spiritus S. explicationem: Neque ex Christo faciendum esse Novum Legislatorem: Neque ex Euangelio faciendam esse novam Legem. videatur in *Harmonia Confessionum Confess. VVirtemb. Artic. de Euangelio Christi*, & *Apologia ejusdem Confess. contra Dominicanum Petrum à Soto: Lutherus in Epistolam ad Galatas: Melanthon in Locis Theol.* passim: & in *Catechesi puerili*: nec non *Catecheses, Vrbani Regii, atque aliorum.*

2. Missis jam adversariis aliis audiamus Anabaptistas: asserit *V. L. Defens. part. 3. pag. 72. 73. A Christianis flagitari conversationem ejusmodi, qualem à discipulis suis nunquam flagitavit Moses: atque, Christum ad legem adjeciſſe id quod Legi deerat, in ipsis moralibus mandatis, quæ spectant Justitiam pacem ac concordiam & communem honestatem: additione facta suarum Legum, atque flagitando & docendo multo perfectiorem Charitatem & plenioremJustitiam, quam unquam docuit Moses.* Perperam: ut particulatim ad singula Decalogi præcepta à nobis demon-

ſtrabitur in Gangrænæ hujus Collegio III.

3. Hujus loci eſt hic Elenchus erroris pernicioſi; Moſaïcæ Legis Legiſlatorem Veterem eſſe ipſum Chriſtum, quippe Moſis ſervi fidelis Dominum: Heb: 3. 5. 6. Quod imprudenter Pontificii, non ſine prævaricatione alii, negare neceſſe habent cum Anti-Trinitariis, ac conſequenter evertunt Unitatem Deitatis in ſacroſancta Trinitate. Neceſſaria enim conſequentia, ſi Novus, Moſe poſterior, Legiſlator ſtatuitur Chriſtus, ſtatuitur Novus Deus, Novum numen, alius à Deo Moſis & Iſraelis. Nobis ut Unicus Deus eſt, ſolus inde ab initio ſupremum & independens jus vitæ & necis habens Matth. 10. 28. Sic idem Unicus fuit, eſt, atque erit Legiſlator hoc nomine metuendus. Jac. 4. 2.

4. Deinde ipſo Moſe antiquior eſt, &, cum ipſa hominis ad imaginem Dei creatione, naturæ inſcripta originaliter, Lex perfectæ Charitatis & Juſtitiæ: ejuſque tantum ἀνατύπωσις ſeu repetita doctrina Lege Moſaïca morali continetur, cujus ab initio Moſe & Prophetis ac Patriarchis antiquior au-

ctor

ctor & Magiſter ſummus cum Patre & Spiritu S. ipſe Chriſtus Dei Filius in Forma Dei exiſtens.

5. Moſaïca illa διατάγματα juris divini quæ Lege morali continetur, minime laboravit ulla ejuſmodi imperfectione, quæ flagitaret correctionem & interpolationem per Nova & meliora Charitatis & Juſtitiæ dogmata. Non patitur illam imperfectionem Scripturæ affirmatio, Præcepta Legis moralis Spiritualia eſſe. Ro. 7. 12. 14. Habere Perfectionem & Sufficientiam pleniſſimam in Inſtructione ad omne opus bonum 2. Tim. 3. 15. 16. 17.

6. Accedit ipſius Chriſti proteſtatio Novam Legiſlationem perimens: Se non veniſſe Legis Veteris antiquandæ cauſa; ſed tantum ut Legem impleret; quippe factum ſub Lege Sponſorem noſtrum ad implendam Juſtitiam omnem à Lege præſcriptam. Matt. 5. 17. cum 3, 15. & Gal. 4. 4. & Heb. 7. 22.

7. Confirmat idem Apoſtolus; ubi negat per Fidem irritam fieri Legem, ſed contra aſſerit illam ſtabiliri. Ro. 3. 31. Quod conciliari non poteſt cum verſus 27, detorſione iſta, quæ hic ad-

versariorum Achilles est, quasi *Legem Operum & Legem Fidei* dixerit Apostolus, ex illa hypothesi, quod Legi veteri operum Mosaïcę succesſerit nova Lex Fidei, demum à Christo tradita: Ut scilicet ubi dictum fuit per Mosem, *Hoc fac & Vives*, Christus ut Legislator novus imperet Opus Fidei & Novam obedientiam Fidei, cujus jam intuitu promittat vitam æternam. Conciliantur autem optime versus 27. & 31. observatione illa supra indicata ab auctoribus *Confessionis VVirtebergensis*, ut versu 27. *Nomen Legis generaliter pro doctrina accipiatur, quemadmodum*, inquiunt, *Prophetæ aliquoties nomine Legis usi sunt.*

8. Non fit autem irrita Lex operum, sed stabilitur per doctrinam Fidei hoc pacto: Ut, ubi in Veteri Fœdere operum Legi operum connexus fuit obligationis rigor ille; ut ex viribus propriis Homo ipse justitiam omnem impleret: atq; ex hoc rigore accipiendum illud *Hoc fac & Vives:* Jam in novo fœdere Gratiæ Mandatum illud *Crede* non flagitet novum illud opus Fidei; ut illud justitię operum Legali substituatur, ejusque operis intuitu

tu Christus donet vitam æternam: sed tantum ut per Fidem & per τὸ Credere agnoscatur donata Christi satisfactio qua pro nobis ipse & nostro loco justitiam Legis operum mandatam implevit.

9. Perimitur ergo & ipsa Lex operum & Lex Fidei ex mente Apostoli intellecta, quando illi antiquatę ejusmodi nova Lex operis Fidei & obedientiæ substituitur, ut à Christo novo Legislatore expectanda sit vita æterna, ut merces Fidei nostræ & obedientiæ opere consummato quærenda: Quandoquidem merces illa vitę æternæ credenda est per Gratiam Christi nobis jam quæsita perfectę ipsius justitiæ merito, ex quo in ipsum credidimus. Qui credit in eum habet vitam æternam. Ioh: 6. 40. & 3. 36.

10. In Christo quidem Θεανθρώπῳ non implicant contradictionem ista Legislatorem esse, & factum esse sub Lege: Tamen in Gratiæ, quæ per Christum facta est conceptu, sunt ἀντικείμενα contrariè oppositа: Ut quandoquidē, fide salvifica de Gratia nobis facta per Christum, ipsum salutamus factum sub lege. Gal: 4.4. cum 2. Cor: 8.9. Non

possimus ipsum salutare ut Gratiæ auctorem titulo Novi Legislatoris: Hoc enim pacto essemus sub Lege, non sub Gratia, ac consequenter per Apostoli affirmationem sub maledictione Gal: 3. 10. 18. cum Ro: 6. 14. 15.

11 Quo loco hic contra urgetur locus 1. Joh: 2. 8. ubi Johannes profitetur se scribere Mandatum novum: frustra est: & ex collatione versus 7. facile solvitur nodus. Vocatur à Johanne vers 8. idem mandatum Novum certo respectu circumstantiarum, quod absolute loquendo versu 7. negat Novum esse. *Fratres*, inquit, *Novum mandatum non scribo vobis sed mandatum Vetus quod habuistis jam inde à principio: Vetus illud mandatum sermo ille est, quem audistis jam inde à principio. 8. Rursus mandatum novum scribo vobis, quod verum est, & in ipso & in vobis.* &c. Rem totam explicant verba ista postrema, quorum hæc est Ἀλήθεια: Novam esse quæ mandato Veteri affulsit Lux, quod per Christum, perfecte impleta Lege charitatis, facta est Gratia & Veritas, quando scilicet Veraces Dei promissiones natæ sunt suum ναὶ καὶ Ἀμήν Etiam & Amen. Joh: 1, 12, cum 2. Cor: 1. 20.

Quæ

Quæ Veritas etiam in nobis per Spiritum Fidei obſignatur: & Nova obedientia ex Fide demonſtratur. 1. Ioh. 2. 3. 7.

12. Breviter Una eademque Lex Charitatis, & Vetus & Novum mandatum appellatur: Vetus quidem, quantiſper ex Veteris Fœderis operum conventione Legali homini ὑπεναντίως adverſaria eſt, exigens debitum, atque ut Vis peccati ſubjiciens hominem ſervituti ad metum mortis & condemnationis 1. Cor: 15. 56. cum Heb. 2. 15. ac vinciens, & in carceris cuſtodia detinens Matt: 18. 18. Gal: 3. 23. Hoc enim Paulus vocat *Vetuſtatem Literæ occidentis*: Ro: 7. 6. cum 2. Cor: 3. 6. Quamvis electis carcer & ſervitus illa cooperatur in bonum, ut Pædagogia ad Chriſtum compellens. Ga': 3. 24.

13. Novum autem Mandatum eadem Lex appellatur, quod *Nove à Novo homine Ieſu Chriſto* impleta ejus juſtitia, quam fruſtra extra Chriſtum flagitabat; jam deinceps illis qui in Chriſto ſunt *Nova Creatura* præſcribatur ut regula *Vitæ Novæ*: quin per Novam ſanctificationis gratiam, quæ *Novitas Spiritus* dicitur, inſcribatur tabulis cordis,

dis, Ro: 7. 6. cum 2. *Cor:* 3. 3. & Jere. 31. 33. Adeoque, ut ante Servitutis, sic nunc *Libertatis Lex* sit, monstraus & dirigens verum usum Christianæ libertatis Jac. 1. 25.

Disputatio XIII.

De

Bonorum Operum Dignitate & Perfectione in hac vita

1. Ad ferta & vindicata jam vera Legis & Euangelii differentia, corruit non tantum crassior Pontificiorum hæresis de Merito Operum, ex intrinseca Operum bonorum dignitate, etiam citra Mercedis liberalem promissionem: Quod Meritum esse Non Ens evincitur tribus illis vulgatis Meriti conditionibus, 1. Ut qui meriturus sit operetur de suo, nihil acceptum ferens illi cui operatur, 2. ut neque opus debitum sit ulla præcedenti obligatione. 3. ut utilitatem illi afferat cui præstatur: Quas ad Meriti destructionem rationes suppeditant testimonia. Luc. 17. 9. 10.

Ro.

Ro. 11. 35. Matt. 20. 15. Job. 35. 7. Pl. 16. 2.

2. Verum corruit etiam, interpolata à Dominicanis & Jesuitis, nominatim *Petro à Soto* & *Gregorio de Valentia*, doctrina de Justificatione ex Operibus Novæ obedientiæ secundum Novam Legem Novi Legislatoris Christi; quæ subnixa est hac hypothesi. *Promissiones Euangelicas sicut promissiones Legis Veteris ab observatione mandatorum tanquam à conditione dependere:* pro qua hypothesi dimicat peculiari tractatu de *Differentia Veteris & Novæ legis Greg. de Valentia*, & in *Confutatione Confess. V Virtemb. P. à Soto.*

3. Hac eadem hypothesi nititur Anabaptistarum de Bonis operibus in negotio Justificationis assertio, qua (ut simpliciores decipiant, qui meminerunt secessionis à Papatu causam etiam hanc justam fuisse, Papisticam de Meritis operum bonorum hæresin:) *Christo* quidem *soli* vindicant *Causam Justificationis Meritoriam* Confess. *opp. Faukel. pag. 183. 184. 187.* Attamen *Dignitatem* tribuunt nostro *operi Fidei, pag. 193. cum 203.* nec non reliquis *Bonis operibus, & Perseverantiæ in Fide & Bo-*

dis, Ro: 7. 6. cum 2. *Cor:* 3. 3. & *Jere.* 31. 33. Adeoque, ut ante Servitutis, sic nunc *Libertatis Lex* sit, monstrans & dirigens verum usum Christianæ libertatis *Jac.* 1. 25.

Disputatio XIII.

De

Bonorum Operum Dignitate & Perfectione in hac vita

1. Ad serta & vindicata jam vera Legis & Euangelii differentia, corruit non tantum crassior Pontificiorum hæresis de Merito Operum, ex intrinseca Operum bonorum dignitate, etiam citra Mercedis liberalem promissionem: Quod Meritum esse Non Ens evincitur tribus illis vulgatis Meriti conditionibus, 1. Ut qui meriturus sit operetur de suo, nihil acceptum ferens illi cui operatur, 2. ut neque opus debitum sit ulla præcedenti obligatione. 3. ut utilitatem illi afferat cui præstatur: Quas ad Meriti destructionem rationes suppeditant testimonia, *Luc.* 17. 9. 10.

Ro.

Ro. 11. 35. Matt. 20. 15. Job. 35. 7. Pl. 16. 2.

2. Verum corruit etiam, interpolata à Dominicanis & Jesuitis, nominatim *Petro à Soto* & *Gregorio de Valentia*, doctrina de Justificatione ex Operibus Novæ obedientiæ secundum Novam Legem Novi Legislatoris Christi; quæ subnixa est hac hypothesi. *Promissiones Euangelicas sicut promissiones Legis Veteris ab observatione mandatorum tanquam à conditione dependere:* pro qua hypothesi dimicat peculiari tractatu de *Differentia Veteris & Novæ legis Greg. de Valentia*, & in *Confutatione Confess. VVirtemb. P. à Soto.*

3. Hac eadem hypothesi nititur Anabaptistarum de Bonis operibus in negotio Justificationis assertio, qua (ut simpliciores decipiant, qui meminerunt secessionis à Papatu causam etiam hanc justam fuisse, Papisticam de Meritis operum bonorum hæresin:) *Christo* quidem *soli* vindicant *Causam Iustificationis Meritoriam* Confess. *opp. Faukel. pag. 183. 184. 187.* Attamen *Dignitatem* tribuunt nostro *operi Fidei, pag. 193. cum 203.* nec non reliquis *Bonis operibus, & Perseverantiæ in Fide & Bo-*

nis operibus pag. 194. ac pugnant isthoc argumento: *Quia Fides istiusmodi præceptis docetur, imperatur & mandatur, quibus promittitur merces vitæ æternæ. pag. 203.* Cujus argumenti nervi jam incisi sunt inde à *Disp.* XI.

4. Eadem est *Remonstrantium* hypocrisis qui in *Necessaria Apologia contra Dan. Heynsium edita, a. 1620.* imperito lectori persuadere conantur *à Luthero & Melanthone non fuisse motam Pontificiis controversiam de Justificatione ex propria obedientia & operibus Euangelicis, sed de bonorum operum opinione imaginaria, aut Meritis ejusmodi operum, quæ tantum sita sint in externis cæremoniis, quæ vel hominibus imperantur ab aliquibus Sacerdotibus, vel quæ ipsi vovent per ἐθελοθρησκίαν, ut sunt Peregrinationes, Supplicationes votivæ, Processiones nudipedes seu discalceatæ.* Atque hac dissimulatione adhibita orthodoxam Lutheri & Melanthonis doctrinam passim in ipsorum scriptis obviam, de Justitia Christi imputata, hoc scommate subsannant: *quod similiter dicamus, hominem peccatorem à Deo pronunciari justum, ac si album & candidum pronuncies Æthiopem candida veste candidatum aut albis coloribus illitum aut pictum.*

5.

5. Hęc interpolata de Merito bonorum operum hæresis, solide refelliţur, tribus (ad Meritum ex Fœderis conventione quacumque stabiliendum necessariis) conditionibus, sine quibus ipsi Legis Euangelicæ Perfectioni derogatur; Sunt autem istę tres. *1. Perfectio Graduum, 2. Perfectio Partium. 3. Perfectio Perseverantiæ sine incisione aut intercisione consummata.* Ex illis tametsi largimur in hac vita Perfectionem Partium & Perfectionem Perseverantiæ sine intercisione; Attamen Perfectionem Graduum, quin Perseverantię sine aliquo unquam lapsu, & incisione obedientiæ pernegamus: Ut recte pronunciet *Catechesis Heydelbergensis Quæst. 62. Non posse nostra bona opera esse justitiam vel partem aliquam justitiæ coram Deo. Propterea quod oporteat eam justitiam quæ in judicio Dei consistat perfecte absolutam esse, & omni ex parte divinæ legi congruentem. Nostra vero etiam præstantissima quæque opera in hac vita sint imperfecta, atque adeo peccatis inquinata.* Quod posterius membrum confessionis confirmant loca. Psal: 130. 3. Esai: 64. 6. Jac: 3. 2. 1. Joh. 1. 8. Prov: 20. 9. 2. Chron: 30. 19.

6. Anabaptistæ hic in *Conf. oppos. Faukel. pag.* 210. 211. videri possent nobiscum agnoscere continuam in hac vita Graduum imperfectionem: quando profitentur *Nunquam Fidem ad tantam evadere Perfectionem, quin Fidelibus non tantum utile, sed necessarium sit Verbum Dei, quod est Panis spiritualis, quo anima vivit, ad Vitæ Fidei incrementum, confirmationem, & conservationem.* Sed latet anguis: ubi porro, loquuti *de diversis Fidei gradibus*, adnotant loca ista 1. *Ioh.* 2. 14. *Deut.* 8. 3. *Matt.* 4. 4. *Eph.* 4. 15. Scilicet Graduum Perfectionem assecutos censent illos, quos Johannes prædicat fortes esse, & malum illum vicisse. Hanc enim *V. L. Defens. part.* 2. *pag.* 94. 95. vocat *Perfectionem Euangelicam divinæ justitiæ & bonitatis, qua malos homines, etiam in iis quæ faciunt bonus vincimus.* Ne autem quis existimet vocare illum *Perfectionem Euangelicam*, quæ aliquam imperfectionis veniam flagitet, explicat se istis hypothesibus: *Minime sub Lege imperatam fuisse tam perfectam Justitiam, quam sub Euangelio.* §. *Perfectionem Legalem tantum fuisse Euangelicæ Perfectionis umbram:* Item: *Nunquam in lege fuisse Perfectionem illam, sed sub Euangelio:*

Sub

Sub quo oportet eſſe plene perfectos Filios Dei: Quia, nempe Euangelium flagitat homines dignos cœlesti mercede.

7. Ad Elenchum erroris dicimus: Nihil ex iſta hypotheſi Chriſtianis adultioribus in hac vita deeſſe ad ipſiſſimam illam Perfectionem, quam homo Chriſtus Jeſus attigit in diebus carnis: Nam ipſe quoque incrementum cepit ſapientiæ & gratiæ apud Deum Luc: 2. 52. & vixit Anima ejus, & nutrita eſt pane ſpirituali Verbi Dei: Matt: 4.4. cum Joh: 4.32. Et ſitiit quoque in animæ angoribus Verbum conſolationis, quo etiam Angeli miniſterio roboratus eſt. Luc: 22. 43. 44. Neque Verbo tantum, ſed & Sacramentorum uſu paſcere animam ſuam debuit & voluit, ad roborandam fidem ſuæ vocationis ad munus ſuſceptum. Matt: 3. 15. Luc: 22. 15——18. Hoc pacto ſcilicet Anabaptiſtarum juvenes illi fortes qui malum vicerunt, Perfecti imitatores Chriſti, à peccati imperfectione in hac vita liberi tantum Verbo Dei porro vivunt & ſuſtentantur, ad vitæ ſpiritualis incrementum & corroborationem: qualem ſi Pontificios audimus cum Chriſto

sto Conformitatem attigit S. Franciscus.

8. Istam cum Christo ipso Perfectionis Euangelicæ Conformitatem Papistico—— Anabaptisticam perimunt præter loca jam indicata Thesi. 5. ista etiam loca, quæ etiam in Sanctissimis, in hac vita, statuunt Luctam illam qua contra Spiritum concupiscit caro. Gal. 5. 17. Ut quando vel maxime promptus est Spiritus, tamen obrepat Carnis infirmitas vitiosa Matt: 26. 41. Marc: 14. 38. quam Paulus Ro:7. vocat Peccatum in se habitans. vers. 20. & Legem peccati in membris suis: vers. 23.

9. Hanc Luctam Carnis & Spiritus frustra Anabaptistæ torquent, ad *Luctam mentis cum appetitu ante regenerationem*. Etenim caro in locis quidem jam indicatis, non significat naturam creatam, sed corruptionem & labem peccati, quę etiam in mente & ratione ipsa habitat, non minus quam in facultate sensitiva. Rom. 8.6. cum Matt. 6. 23. Rursum Spiritus locis indicatis contra carnem concupiscens & promptus; significat omnes & superiores & inferiores animæ facultates, quatenus

imbutas gratia Spiritus Sanctificantis: qui ea propter etiam ipsum corpus & corporis membra inhabitare dicitur. 1. Cor. 6. 15. 19. Ro. 8. 11. & ἀναλόγως regeniti dicuntur corpora sua hitere Deo hostiam vivam, sanctam, acceptam Deo, ad rationalem cultum Dei, Ro. 12. 1.

10. Paulum quidem in Lucta Carnis & Spiritus Carnis maxime intellexisse Peccatum Gratia Spiritus domandum, idque occupans ipsam rationis arcem, evidens est: ex recensione operum carnis, qua in censum veniunt Idolatria & Hæreses. Gal. 5. 20. quæ quidem non possunt dici pullulare ex inferioribus & corpori immersis animæ facultatibus: sed peccata sunt, maxime Spiritualia, Spiritus voce intellecta pro Animæ facultate rationali.

Disputatio XIV.

De Certitudine Salutis, & Perseverantia in Fide.

1. Transformato in Legem Evangelio, & posita Operum nostræ obedientiæ dignitate & Perfectione in hac vita, ad salutem obtinendam necessaria: non potuit sarta esse doctrina orthodoxa *de Certitudine salutis, & de Perseverantia in Fide.* Hinc est Gangræna illa, de nulla certitudine salutis & remissionis peccatorum, qua se consolari possit peccator vere resipiscens, qui resipiscentiæ suæ non supervixerit justum tempus ad Novæ operum obedientiæ consummationem. Pronunciant enim *Confess. oppos. Faukel. pag. 390. Quamdiu vivit & mentis compos est, admoneri posse ut ad Deum confugiat: erigi consolatione illa, Deum esse benignum & misericordem; qui nolit mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat: Verum,* inquiunt, *ut consolationibus istis consolemur quosvis morientes, quantumvis impie vixerint: utque ipsis asseramus, certitudinem remissionis peccatorum: nullum invenimus Dei Verbum quod*

no-

nobis hic præeat: Quapropter, neque illa confidentia ausimus uti, ut quibusvis hominibus in mortis articulo consolationes ejusmodi applicemus: Neque tamen pronunciamus, non posse gratiam aut remissionem peccatorum impetrare peccatorem, qui in fine & termino vitæ suæ, vere se ad Deum convertit. Committimus hoc Dei sapientiæ, utpote de quo nullam habemus in Verbo Dei plenam certitudinem.

2. Eadem est hic Theologię *Remonstrantium* Gangræna, quam prolixe exhibet *posthumum Ed. Poppii opusculum, Consolatio ægrotorum, primum editum a. 1625.* post Anabaptistarum Confessionem, hanc editam. a. 1624. Censet quidem ille, flagitandum à Deo ægrotis etiam vere conversis, ut ipsis necessarium, justum vitę tempus quo successive porro operis ipsorum cœpti labor consummetur. Scilicet quia (quod affirmat idem *Augustæ portæ pag. 282. Merces vitæ æternæ dabitur nemini, nisi iis qui laborem obedientiæ usque ad vitæ finem consummaverint: neque alio pacto, quam intuitu in illud ipsum plene consummatum opus.*

3. Nos ex vera doctrina de Euangelio, credimus Deum omnibus salvan-

vandis Uniformiter daturum vitam æternam, non alio pacto quàm solo & unico intuitu principali Meriti Christi ipsis imputati: Atque ea propter consolationes Euangelii in Verbo Dei universales esse, ut nemo vere conversus, sive sub veræ conversionis & resipiscentiæ initia excesserit ex hac vita, sive regenerationi suæ justo tempore supervixerit, illis consolationibus orbandus sit.

4. Confirmat Universalitatem istam Promissionum & Consolationum Euangelicarum, Christus invitans absque ulla temporis præscriptione, aut vitæ brevioris vel longioris limitatione, seu præfinitione, Omnes fatigatos & oneratos. Matt. 11. 28. Ac pronuncians beatos indefinita loquutione Pauperes Spiritu, Lugentes, Esurientes ac sitientes justitiam: Mat. 5. 3. 4. 6. Denique promittens ex iis qui ad ipsum venerint se neminem ejecturum foras. Joh. 6. 37.

5. Expresse autem contra scrupulum de sera in morte conversione, modo seria sit, Consolationis Universalitati cautum est juramento divino, Nolo mortem impii sed ut convertatur

tur impius à via ſua & vivat, morientibus applicato. Ezech. 18. 32. cum 33. 11.

6. Et mortem nihil hic præſcribere conſolationi morientium in vera & ſeria, quamvis ſera, reſipiſcentia, porro confirmant loca Ro. 14. 7. 8. 9. 1. Cor. 3. 21. 22. Ro. 8. 38. 39.

7. Non eſt hic illud negligendum, contra quoſcunque vel Anabaptiſtas Remonſtrantes: Negata hac vera Gratiæ Univerſalitate, quæ præſtat Conſolationes Univerſales, morientibus in vera converſione; & interdicta ſero quamvis ſerio converſis conſolatione Scripturarum: Nihil eſſe niſi inanem conſolationis προφασιν in illa *Gratiæ & Redemptionis per mortem Chriſti Univerſalitate* quam faciunt ſuæ Religionis ἀκροπολιν,

8. Accedit quod horrendum & blaſphemum eſt (id quod hic erroris efficacia per neceſſariam conſequentiam, *Poppio* expreſſit, *Angustæ Portæ pag. 229*, & in *Ægrotorum Conſolatione*,) ablata ex Verbo Dei Certitudine ſalutis, omnium morientium in vera converſione; ſtatui *extra & ſupra Euangelium, inauditam & ἀλλόκοτον Electionem & Reprobationem*,

nem, qua Deus absolute libero Dominii jure damnat nonnullos vere conversos & contritos corde, quibus ex hypothesi veræ conversionis non potest juxta Euangelium annunciari exspectatio damnationis: ac rursum servat nonnullos via per Euangelium non patefacta quibus in nomine Christi non potest annunciari exspectatio vitæ æternæ. Ad quam scilicet arcanam, in vera conversione morientium, Electionem an Reprobationem; oporteat referre & verba Christi Matt. 20. 16. Pauci Electi: & verba Apostoli Ro. 9. 18. Miseretur cujus vult & indurat quem vult.

9. Connexa est heteredoxæ isti de Salutis morientium in vera conversione incertitudine, altera Heterodoxia *de Sanctorum Perseverantia incerta*: Asserunt enim Anabaptistæ *Confess. oppos. Faukel. pag. 206. 207.* sine ullis ambagibus: *Vere Fideles Dei Filios, posse fieri infideles filios Diaboli, ac consequenter jacturam facere salutis suæ: & veram esse assertionem suam* contendunt, quinque argumentorum classibus: Tres quidem priores istæ sunt! *1. Admonitiones Prophetica & Apostolicæ, ipsiusque Christi, contra Apostasiam, 2. Exhortationes ad Perseverantiam. 3. Cura & solicitudo anxia ministro-*

ſtrorum Dei, de ſua, & fidelium perſeverantia. Reliquæ duæ ſunt: *4. Prædictiones futuræ Apoſtaſiæ. 5. Aperta teſtificatio & querela de Apoſtaſia præſenti.*

10. Ad diſputationis compendium, tribus prioribus Claſſibus argumentorum, opponimus hanc Antitheſin: Deum admonitionibus, Exhortationibus, nec non Curæ & ſolicitudini iſti, qua obviam itur Sanctorum Apoſtaſiæ, ita benedicere; ut nulla eveniat vere fidelium filiorum Dei totalis aut finalis Apoſtaſia.

11. Antitheſin noſtram confirmant tres quoque argumentorum claſſes. 1. Expreſſa Fœderis Gratiæ formula illa Jere. 32. 40. Pangam cum illis Fœdus æternum: ut non deſinam ipſis benefacere: & indam timorem meum cordibus ipſorum, ut non recedant à me. 2. Teſtimonia Scripturæ expreſſa; quæ affirmant, fideles etiam ſe ipſos ſervare & à Deo ſervari, ab illa Apoſtaſia, à qua comminationibus abſterrentur. Heb. 6. 9. & 1. Joh. 5. 18. 1. Petr. 1. 5. 3. Teſtimonium conſcientiæ fidelium, de ſua Perſeverantia, quo ipſis Comminationibus contra Apoſtaſiam opponunt clypeum fidei: in quam rem illu-

illustriscst, illa fidelium Antiphona ad divinas promissiones & comminationes Hebr. 10. 38. 39. justus ex fide vivet: At *siquis se subduxerit*, non probat eum animus meus: At *nos non ii sumus qui nos subducamus ad exitium*; sed qui credamus ad animæ salutem.

12. Ad Classem testimoniorum quartam, in qua sunt prædictiones; & quintam, in qua sunt querelæ de Apostasia; Respondemus, vel non agi de Sanctorum vere fidelium, à fide interiori vera, sed de Hypocritarum ab exteriori professione & cultu defectione: vel de vere fidelium defectione, à qua resurgunt per gratiam Dei, quæ neque Totalis neque Finalis est: Totalem enim Apostasiam qua ex Filiis Dei fiant filii Diaboli, non patitur vel unica illa promissio divina. Ps. 37. 24. Et qui à Finali induratione in defectione & lapsu non præservantur, ut ad querelas & lamentationes divinas flere nesciant Matt. 11. 17 Luc. 7. 32. illos cum Johanne affirmamus nunquam fuisse vere sanctos & fideles filios Dei: Ex nobis exierunt, quia non erant ex nobis: Si ex nobis fuissent, utique mansissent nobiscum; sed hoc factum

ctum est ut manifestum fiat non omnes esse ex nobis. Ad loca ἐναντιοφανῆ respondebitur particulatim in disputationis actu.

COROLLARIUM.

AN Sensus ille orthodoxus Petitionis tertiæ in Oratione Dominica: *Iuva nos ut tam prompte & alacriter tibi obediamus in terris quam prompte & alacriter Angeli in cœlo*, aut doctè aut piè impugnetur ab *Episcopio*: Dictatis istis ἀντιθέσεις in Matt: 6. 10. *Si res consideretur, merito queri posset, Ecquis ille gradus promptitudinis sit qui in Angelis reperiatur, & in hominibus locum habere non possit. Anne ulterior gradus promptitudinis dari potest, quam quod faciant sine ulla luctu, cum voluptate & desiderio gloriæ divinæ, id quod Deo gratum est? At vero hic gradus in hominibus regenitis locum habere potest. Dicam, inquit, amplius: Eousque gradus hic in homine intendi potest, ut cupere & optare possit, mori potius pro alio morte crudelissima, quam non obedire præceptis Dei: Hoc in Angelum cadere non potest. N.*

DISPVTATIO XV.

DE
Sancta Catholica Ecclesia.

1. PEr erroris, de Sanctitatis in hac vita Perfectione, efficaciam, Hæc quoque est Anabaptisticę Theologiæ Gangræna, de Sancta Ecclesia Catholica: ut illam etiam in Terris militantem censeant, aut nullam, aut sine ruga & macula Sanctam esse: Pronunciant enim, *in cœtibus Ecclesia per orbem terrarum dispersis, Ecclesiam Dei, quæ proprie in rei veritate talis sit, & actualem cum Deo communionem habeat, sine macula aut ruga esse, hoc videlicet pacto, ut nemo sit in Ecclesia ista vera tali aliqua macula contaminatus: per quam impediriqueat, quo minus cum Capite & Servatore corporis istius recipiatur in communionem gloriæ ipsius, & in gaudium æternæ beatitudinis. Confess. oppos. Faukel. pag. 158. 159.*

2. Palliant hęc verborum ambagibus, quibus incautioribus videri possint eadem nobiscum loqui, (de Ecclesiæ Catholicæ invisibilis & particularis visibilis distinctione:) & fateri, non esse Ecclesiam in his terris visibiliter col-

collectam sine macula aut ruga. Verum intelligentem neminem latere potest, satis explicata ista sententia; in latentibus tantum hypocritis, non in vere credentibus membris visibilis Ecclesiæ, maculas ab ipsis agnosci: atq; in eam sententiam ab illis adnotari *locum Eph. 5. 27.*

3. Enimvero ista sunt verba Pauli: versibus 25. 26. 27. *Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum exposuit pro ea. Vt eam sanctificaret, ab eo purificatam lavacro aquæ per verbum. Vt sisteret eam sibi gloriosam, Ecclesiam non habentem maculam aut rugam, aut quicquam ejusmodi, sed ut sit sancta & inculpata.* Verborum autem ἅγιοι nequaquam est ista, Ecclesiam, antequam Christus eam sibi sistat glorioſam, esse jam plene sanctam & inculpatam, non habentem maculam aut rugam aut quicquam ejusmodi, in visibili hac sanctorum communione, *in statu Gratiæ*, quæ purificata est lavacro aquę per verbum. Sed manifeste *ad statum gloriæ* consummata illa sanctitas refertur; qui à nobis cõmutabitur cum *statu Gratiæ*; in quo aspiramus quidẽ ad immaculatam illam Sanctitatem sed necdum illam assequimur: ut suo

emplo testatur Paulus: Phil. 3. 12. 13. 14. qui etiam hac vita functos, in animabus separatis demum, vocat Justos consummatos. Heb: 12. 23.

4. Confirmat Sanctificationem Ecclesiæ in terris militantis inchoatam tantum, nec ante vitæ terminum consummandam, Baptismi appellatio attributa morti illorum, qui Christo commoriuntur. Marc. 10. 38. 39. ut nempe intelligatur, Morte Christi acquisita peccatorum nostrorum ablutio, in Morte demum nostra peccati maculas plene eluere. Unde illa hominis regeniti suspiria: Ærumnosus ego homo: quis me eripiet ex isto corpore mortis? Ro: 7. 24. Cupio dissolvi & esse cum Christo. Phil. 1. 23.

5. Porro observamus, alio etiam rapere Anabaptistas distinctionem Ecclesiæ visibilis & invisibilis, ut scilicet in terris partiantur Ecclesiam Dei, *in partem Visibilem & partem Invisibilem*, hac notione, ut pars invisibilis sit multitudo etiam aliqua hominum; quæ etsi extra congregationem Ecclesiæ visibilis vixerit, destituta vocatione per Verbum Euangelii; ut censeri nec potuerint nec debuerint, Ecclesiæ in ter-

ris

ris membra? tamen *comperientur vera Ecclesiæ invisibilis, quæ corpus Christi est, membra*: Luc. 13. 29. In hanc enim sententiam torquent verba Christi. Matth. 8. 11. 12. *Dico autem vobis multos ab Oriente & Occidente venturos, & accubituros cum Abrahamo & Isaaco & Iacobo, in regno cælorum: Filios vero regni ejectum iri, &c Confess. oppos. Faukel. pag. 161.* Atque ex hac hypothesi benignius scilicet pronunciant, *meliora se sperare de bonorum Magistratuum, aliorumque plurium bene affectorum hominum, salute*, quamvis illos nolint admittere in partem visibilem Ecclesiæ Christi *pag.* 226. 227.

6. Non diffitemur statuendam esse Ecclesiæ Christi in terris militantis partem aliquam, non adjunctam ad communionem externam cœtus visibilis, per Sacramentorum usum; de quibus illud scite dicitur, *Multos esse ex Ecclesia, qui non sunt in Ecclesia:* At minime istos tales censemus, quales hic ex falsa sua de Centurione hypothesi intelligunt Anabaptistæ, qui, absque verbo vocationis, & fide Euangelii, justitiam operentur in ipso Gentilismo: & Deo placeant. Intelligimus au-

tem cœtum fidelium, qui vel ordinarie per pastores sunt vocati ut Catechumeni; vel præter hunc ordinem, saltem privata revelatione, seu lectione & auditione Euangelii, ad fidem sunt perducti.

7. De Centurione Gentili Capernaumi, manifestum est, credidisse illum in Christum, ex auditione Euangelii: similiter Euangelii auditione ad fidem perducendos intellexit Christus, illos ab Oriente & Occidente venturos & accubituros in regno cœlorum.

8. De cætero, quos statuimus esse ex Ecclesia at non esse in Ecclesia, illos tamen negamus accedentes arceri vel excludi posse, eo pacto quo Magistratu fungentes. Anabaptistæ ab Ecclesia visibili exclusissimos faciunt. Sed intelligimus accedere prohibitos (non Ecclesiæ judicio illorum initiationem abnuente secundum institutum à Christo ordinem, sed, quia μεμονωμένοι solitarii degunt (inter infideles, aut hostes & persecutores Ecclesiæ,) suam ipsi conditionem dolentes hac in parte, quod à communione externa illorum qui ejusdem vocationis consortes

tes sunt, sejunctis ipsis vivendum sit.

9. Iisdem μεμονωμένοις, seu ab externa communione sejunctis Ecclesiæ membris, accensemus illos in sera sed seria sub vitæ terminum conversione constitutos, de quibus diximus Disputatione antecedenti: quos necesse est ut saltem Catechumenis nondum Sacramentorum usu initiatis ipsi Anabaptistæ annumerent. Catechumenos autem serio conversos an eo loco habituri sunt ut mors inopinata illis auferat Verbum illud consolationis, quod ad externam Ecclesiæ communionem adjunctis conceditur?

10. De ipsa autem externa communione Ecclesiæ in Sacramentorum usu, hic quoque in Anabaptistica Theologia μηδὲν ὑγιές, nihil sani est; quandoquidem rem Sacramentis significatam, nullam censent esse quæ communiter Fidelibus & Fidelium infantibus obsignari possit: Scilicet quia nullus sit institutus divinitus Sacramentorum usus; ut à Deo Ecclesiam obsignante, ipsiq; confirmante promissiones Fœderis Gratiæ & Fidem roborante; sed ut ab homine significante suam in opere Fidei & Sanctificatio-

nis seu Regenerationis suę, cooperationem cum Deo.

11. Quando autem nobiscum loqui videntur *de Fidei nostræ corroboratione in Sacramentorum usu. Confeß. oppoſſ. Faukel. pag. 296. 319. &c.* non intelligunt imbecillem & luctantem cum infidelitate Fidem: aut peccati labe inquinatam Fidei obedientiam; neque corroborationis nomine, cõsolationes validas de quotidiana & jugi peccatorum remissione, & obtectione; ac sanctificantis gratiæ incremento: Sed roborationem Fidei intelligunt, quæ vel Christo ipsi tribui queat sine ulla peccati labe: *vide* 1111. *Disp. Thes.* 7. videlicet quæ operis Fidei exercitatione, acquiratur; exhibita à nobis, in Sacramentorum usu, Fidei obedientia.

12. Ab hac erroris efficacia est quod non sustineat *Menno S.* hodiernorum Anabaptistarum, qui *Mennonitæ* dicti, Patriarcha: *Baptismum dici Signum Gratiæ:* pronuncians, *exiguo sui ingenii modulo hoc esse ἀσύστατον plane, quia* scilicet *nobis Gratiæ signum sit solus Christus Iesus: Baptismus autem,* inquit, *signum est obedientiæ in Christo nobis imperatum. Fundament:* pag: 21. edit 1565.

13.

13. Pro vera ergo Sacramentorum re ſignificata, (Gratia Teſtatoris Chriſti nobis obſignanda in legitimo & pio Sacramentorum uſu, à Deo:) ſubſtituitur (inverſa ſerie ſalutis noſtræ) oblatio noſtræ obedientiæ Deo debitæ, ſeu debiti noſtri à nobis exſolutio. Inverſa, inquam, ſalutis ſerie, & Euangelii fundamento everſo, quo recte jacto Chriſtus non ſalutatur Fœderis Gratiæ ſignum, (hoc enim in Antitheſi contra Theſin orthodoxam, ſignificare nihil ultra poteſt, quam exemplum cujus imitatione Gratiæ Fœdus obtineri queat:) Sed Teſtator & Sponſor Fœderis Hebr. 9. & 7. per quem ſoluto debito noſtro, nobis facta eſt Gratia. Joh. 1. 17.

14. Minime tamen à re ſignificata Sacramentorum excludimus obligationem noſtram ad debitum: At ponimus illam divinæ, prævenientis nos, obſignationis in gratię Fœdere conſequens, Obſignatio a. divina, ad debitum obligans, admittit ſolutionis debiti Moram, V. G. in Infantibus Fœderatorum: qui eſt cardo controverſiæ de Pædobaptiſmo. Similiter in adultis non exigit debiti ſolutionem

Legalis Fœderis rigore: sed condonantur imperfectiones in ipsa gratitudine debita: qui est cardo controversiæ de usu S. Cœnę: utraque tractabitur infra suo loco.

Disputatio. XVI.

De
Ecclesia Triumphante.

1. De Ecclesia Triumphante varie gangrænam facit Theologia Anabaptistarum: Nam controversiam movent, 1. de loco seu mansione Ecclesiæ post terrenæ hujus vitæ terminum. 2. de triumpho ipso ante resurrectionem ex mortuis. 3. de ipsa veritate resurrectionis corporum mortuorum.

2. Locum seu mansionem Ecclesiæ, postquam in vitæ hujus termino desinit militare, definimus paradisum, id est tertium cœlum, propter Christi ipsius affirmationem illam Lucæ, 23. 43. qua latroni converso pollicetur illo ipso crucifixionis die introitum una secum in Paradisum; quo nomine ter-

ti-

tium cœlum intelligere nos jubet Apoſtolus 2. Cor. 12. 2. 4. De Animæ autem Chriſti, & Latronis converſi, ſeparatæ à corpore, manſione, id accipiendum, loquitur res ipſa.

3. Ad hanc autem analogiam de manſione & loco aliarum animarum beatarum ſtatuendum eſſe, confirmant loca illa, ubi Spititibus juſtorum conſummatorum aſſignatur civitas Dei viventis Hieruſalem cœleſtis Heb. 12. 22. 23. & permutatio Domus terrenæ tabernaculi, cum domo non manufactæ æterna in cœlis. 2. Corinth. 5. 1. & 8. & manſio cum Chriſto. Phil. 1. 23.

4. Hic Anabaptiſtæ interrogati credantne id quod tenent Eccleſiæ Reformatæ *Juxta Catecheſin Heidelb. q. 57. Animas credentium, poſtquam è corpore exceſſerint, è veſtigio ad Chriſtum ſuum caput aſſumi*; Reſpondent. *Quod ad locum*, quo migrent animæ, *nuſquam illum in Scriptura perſpicuè deſcriptum. Confeſſ. opoſſ. Faukel. pag. 495. 496.*

5. Et mox pag. 497. obtendunt *Calvini moderationem*; in iſtis quæ laudant verbis: *Inſt. lib. 3. cap. 25. §. 6.* quæ plenius exſcribenda, *Valde ſe torquent multi diſputando, quem locum occupent & an*

cœlesti gloria jam fruantur nemo: *Atqui stultum & temerarium est, de rebus incognitis altius inquirere, quam Deus nobis scire permittat. Scriptura ubi dixit Christum illis præsentem esse & eas recipere in paradisum ut consolationem percipiant.....non ultra progreditur*: *Quis jam doctor aut magister quod Deus celavit nobis patefaciet? De loco non minus inepta & futilis est quæstio: quando scimus non eam esse animæ dimensionem quam corporis.*

6. Enimvero (collatis antecedentibus Calvini verbis, in quibus ex 2. Cor. 5. 1. asseruit animabus fidelium. *ædificium in cœlis*) apparet noluisse Calvinum præjudicare quicquam assertionis istius veritati, quam tuemur, Locum quo animæ migrant esse Cœlum: sed proscribere tantum curiosas Scholasticorum quæstiones, de Animarum essentiæ commensuratione, ad loci dimensiones corporibus convenientes.

7. Alia est autem huic affinis controversia, *de fidelium in V. T. mortuorum animabus*, An pariter illæ ante Christi in cœlos ascensionem, è corporibus suis dimissæ in Cœlum idem receptę fuerint, quod jam sub N. T. asseritur secundum Scripturas, animabus fideli-

lium morientium: in qua, etiamsi nolimus pronunciare intolerabilem illorum sententiam; qui verentur illis asserere locum & mansionem in cœlo summo; at de statu illarum beato, & felici lætitia, & in genere de loco convenienti consensum testantur: Attamen censemus neque illos, neque quoscunque vel Anabaptistas vel Pontificios, ulla Scripturæ affirmatione, vel demonstratione ex Scripturis, solide expugnare sententiam illam, quæ etiam illis olim animabus sub V. T. asserit cœlum summum, quod asseritur sub N. T.

8. Atque ut hoc asseramus etiam ad præsentem disputationem interest; Quia omnino ante ascensionem Christi verificari debuerunt testimonia Scripturæ ista, de Reditu Spirituum ad Deum Eccl. 12.7. de Regno cœlorum. Matth. 8. 12. de Sinu Abrahæ Luc. 16. 21. de Paradiso. Luc. 23. 43. de Mercede piorum in cœlis Matth. 5. 12. Quibus testimoniis jam sub N. T. morientibus fidelibus Cœlum asserimus.

9. Altera de Ecclesia, ante resurrectionem ex mortuis, in cœlis triumphante, controversia, quam Anaba-

ptiſtæ movent, eſt de triumpho ipſo; de quo, verba illa Calvini, *An cæleſti gloria jã fruantur nec ne*, & quod pronunciat *ſtultum & temerarium, id velle altius inquirere*, non favent rurſum Anabaptiſtis, qui, *Confeſſ. oppoſ. Faukel. ibidem*, *Quod ad Gaudium ſeu felicem lætitiam*, contendunt *nihil uſquam clare Scripturam teſtari: quin etiam non videri ſecundum rationem veritati conſentaneum, ut ex corpore excedentes fidelium animæ è veſtigio ad Chriſtum ſuum caput aſſumptæ participent gaudio cæleſti.* Recte enim *ibidem Calvinus* aſſerit, *Animas piorum militia labore perfunctas in beatam quietem concedere, ubi cum felici lætitia fruitionem promiſſæ gloriæ exſpectant:* Promiſſam ergo gloriam cœleſtem quam ſuſpenſam mavult donec adveniat Chriſtus quam præſentem ejus fruitionem aſſererе; intellexit Calvinus, non abſolute de felici in cœlis lætitia; ſed de fœlicis lętitię colophone, & gloriæ cumulo, in corporum glorificatione.

10. Quamvis ergo diſſentientes de loco felicis lætitiæ, & de Gloriæ cœleſtis colophone, ſententias, Calvinus pia moderatione cenſet non debere ſcindere Eccleſiarum unitatem (*loco laudato,*

laudato, collato cum Inſt. lib. 4. cap. 1. §. 12.) Recte tamen hoc vult contra Anabaptiſtas immotum eſſe, Animas fidelium mortuorum *Vivere Domino* cum *felici lætitia*: Ac confutat ſolide *libro de Pſychopannychia*: Anabaptiſticam animarum dormitionem, qua illi uſque ad reſurrectionem corporum ſopitam volunt omnem actum & operationem intellectualis vitæ; ac perimunt tantiſper actum exercitum intelligendi, cogitandi, judicandi, volendi, amandi, gaudendi.

11. Interim profitentur illi ſcilicet, *deberi illam fidelibus conſolationem in tribulationibus & oppreſſionibus, maxime in agone mortis: Non mori cum corpore animam: & quamvis corrumpatur & occidatur ab hominibus corpus, non poſſe tamen ab hominibus Animam occidi.* Atqui per ſe, ſine ulla ante diem extremi judicii ſalutis certitudine aut conſcientia, in vita aut morte, illa de Immortalitate animæ naturali conſolatio nulla eſt: Si qua autem eſt, in nocte illa una, uſque ad diem judicii dormienda, illa, ex Anabaptiſtarum hypotheſibus, magis facit ad impiorum conſolationem, quam piorum fidelium; his enim præ-

ſen-

sentes consolationes & gaudium spirituale, dormitio illa auferet, illis autem tantisper saltem auferet, omnem doloris sensum: Pronunciant enim: *Christianos statuere posse, sine pietatis jactura: Animas impiorum post mortem similiter non è vestigio in inferno gustare seu experiri cruciatus infernales.*

11. Enimvero refellit, illam in morte jacturã gaudii spiritualis fidelium, Apostoli illla optio qua lucro illi, quo in hac vita fruebatur, præfert ut πολλῷ μᾶλλον κρεῖσσον multo magis melius, lucrum in morte: Phil. 1. 21. 22. 23. conferillud: Melior est dies mortis die nativitatis Eccles. 7. 2. Certe insana fuerit illa optio, si non cum feliciori lætitia & solidiori consolatione commutent fideles consolationes præsentes, per quas hic in carne habent fomitem gaudii, quo semper gaudentes Phil. 4. 4. vincunt abunde omnem doloris sensum. Jac. 1. 2. Ro. 8. 37. 1. Pet. 1. 8.

13. *Dormitionem* autem fidelium morientium perperam ad Animas trahunt Anabaptistæ: debetur enim illa secundum Scripturas non Animabus sed Corporibus. Hæc enim non illæ

illæ resurgent 1. Cor. 15. 18. & 44.

14. Animarum autem dormitionem perimit Christus, in Parabola historica Divitis & Lazari, illum constituens post mortem in inferno *ἐν βασάνοις* in tormentis seu cruciatibus: hunc in sinu Abrahæ, in consolatione. Luc. 16. Quam Parabolam, velint nolint Anabaptistæ, historicæ necesse est intelligi, de statu Animarum post mortem corporis, ante diem extremi judicii; & loco gemino, altero felicis lætitiæ, altero infelicis doloris & cruciatus: Nullo enim schemate, alio trahi possunt circumstantiæ illæ, de corporis morte & sepultura vers. 22. 23. de superstitibus mortui agnatis vers. 27. 28. de ipsis concessa & sufficienti ad conversionis normam & stimulum, Scriptura Mosis & Prophetarum: dum interim Dives ille cruciabatur: augente cruciatum etiam anxietate illa de cruciandis olim fratribus. vers. 29. 30. 31.

15. Parabolam ergo quamvis agnoscamus in Dialogo inter Abrahamum & Lazarum; Meram tamen absque veritate historica parabolam; & adumbrationem tantum illam quam volunt Anabaptistæ, *qua ob oculos ponatur,*

tur uterque resurrectionis futuræ eventus, non patiuntur indicatæ jam circumstantiæ.

DISPVTATIO XVII.

DE
Resurrectione Carnis.

1. RElIqua est ad gangrænam de Ecclesia Triumphante, controversia quam movent Anabaptistæ de Veritate resurrectionis corporum mortuorum: Circa quam initio subruunt Beatæ resurrectionis fidelium è mortuis fundamentum illud salutare, Fœdus Gratiæ Dei, quo ita agglutinantur Deo, ex quo crediderunt, ut etiam corpora ipsorum fiant membra Christi, ex carne & ex ossibus ejus 1. Cor. 6. 15. Eph. 5. 30.

2. Subruunt autem fundamentum istud isthac hypothesi: *Nullum fore in resurrectione mortuorum discrimen inter justos & injustos, quod quidem resurrectionem tantum mortuorum simpliciter spectat: Nullum quoque fore discrimen in causa efficiente: Sed in hoc, quod dissimili fine sint resur-*

recturi hi & illi. Confeſſ. oppoſ. Faukel. pag. 502. 508.

3. Orthodoxa autem fides iſta eſt: Hoc in ipſa reſurrectione & excitatione mortuorum diſcrimen fore: Quod in juſtis excitandis, cum ipſa, mortis ſtimulus & inimicitia, id eſt, maledictio, perimetur & auferetur; in impiis autem minime: 1. Cor. 15. 26. 55. 56.

4. Quod in forma quaſi excitationis diſcrimen, neceſſario ponit alteram in cauſa efficiente differentiam illam, quod Excitationem juſtorum operaturus ſit Chriſtus per Spiritum ſanctum, qui jam in illis habitat: Ro. 8. 11. 23. qui corpora ipſorum vivificata ex mortuis, & animæ τελείως ſanctificatæ unita, ſiſtet expeditiſſima arma ſanctitatis & juſtitiæ glorioſe in cœlis. Hac autem Spiritus Chriſti operatione ſanctificante minime efficietur reſurrectio impiorum.

5. Enimvero laborat quoque in Anabaptiſtarum Theologia Veritas ipſa reſurrectionis corporum mortuorum: quantumvis ſimulent mentem ſaniorem affirmantes; *ſe corde credere, & profiteri ore; Chriſtum ex morte reſurrexiſſe:*

se: & esse corpus ipsius glorificatum. Atque ipsum, in hoc, non tantum ut caput sui corporis, praiviße membris suis, sed eo quoque perducturum membra sua, ut gloriæ ipsius consortes facti, in corporibus suis abjectis similes evadant glorioso & glorificato ipsius corpori. Conf. oppos. Faukel. pag. 507. 508. Hic ipsis dictum esto quod ex illis. *Iac.* **Outerman** *Art. 6. §. 27.* exprobrat Orthodoxis: *Non fit hoc, quod corde credant; sed sequuntur ductum verborum quæ in Scriptura reperiunt, quibus mox omni conatu contradicunt.*

6. Primo enim occultant quid credant *de illo glorioso seu glorificato Christi corpore quod jam in cœlis est,* cui conformabuntur corpora nostra: Quod nobis eruendum & excutiendum, audita initio illa quam *Artic. 9. pag. 141.* edunt confessione: *Confitemur, idem corpus quod in Crucis patibulo mortuum, quodque sepultum fuit, resurrexisse, seu excitatum & vivificatum esse: eumque sæpius se ipsum in corpore illo, corporaliter visibilem & palpabilem, oculis discipulorum suorum obtulisse & videndum exhibuisse: atque eo etiam pacto in cœlum ascendisse, Credimus quoque illud glorioſe glorificatum: Verum* (hic latet anguis) *Qua quantitate, aut qualitate, & quo modo,*

do, in illo corpore ſedeat ad dexteram Patris: quandoquidem de eo nobis non liquet teſtimonium in Scriptura Sacra; malumus hic ignorantiam noſtram profiteri, quam incerta divinatione uti extra Dei Verbum. Atque hac hypocriſi detrectant ingenuam reſponſionem, *de ſervatis an abdicatis humanæ naturæ propriis accidentibus.*

7. Verum non eſt illa ſancta ſimplicitas, aut pie docta ignorantia, quando præter analogiam Fidei quam dictat Scriptura de Corpore Chriſti jam à morte excitato & vivificato, fingitur quaſi veriſimilis idea aliqua corporis glorioſi, propter ſcripturæ ſilentium de eo quod in cœlis acciderit: quod debebat contra chimæricam iſtam ideam præſcribere.

8. Et inanis eſt hic Philoſophia Anabaptiſtarum, *de abdicatione naturæ & proprietatum corporearum*: quando cum illa confundunt, *abdicatam Eſuritionem & Sitim, laſſitudinem, mœrorem, paſſibilitatem, & mortalitatem pag. 142.*

9. Vere quidem illud credimus, quod iſtis verbis illi expreſſerunt *pag. 143. Nos in adventu ipſius, eo quoque evehendos, ut ipſi conformati Phil. 3. 21. quoque non amplius eſuriamus aut ſitiamus,*

ne-

neque doloribus aut erumnis, aut morti simus obnoxii. At perperam has vocat *Humanas seu naturæ humanæ proprietates*: quæ enim veræ sunt naturales proprietates exui nequeunt quin natura ipsa exuatur: Hæ autem calamitates sunt & maledictiones ad naturæ corruptionem comparatæ.

10. Et, quod isti auctores Confessi; æquivocationibus suis occultant, jam olim aperte *in Colloquio seu Protocollo Francothalensi, Actor. 29. §. 7.* Colloquutor *Theboldt* professus est, sic interloquens, *Vt vero populum doceamus fore ut resurgant mortui, cum suis manibus & pedibus, pelle, carne & ossibus, (id non committimus) ita illos non docemus.*

11. Quandoquidem autem, velint nolint, de Veritate carnis Christi & ossium nec non pedum & manuum, post resurrectionem ex mortuis, coguntur manus dare: nobis id hactenus sufficit, ad carnis nostræ veritatem nec non ossium, pedum manuumque asserendam in futura mortuorum resurrectione: quandoquidem uniformem ex mortuis resurrectionem Carnis Christi & nostræ flagitat Scripturæ analogia; quæ nostræ resurrectionis pa-

paradigma ad fidei noſtræ arrhabonem conſtituit in Chriſti carnis reſurrectione, qua emphaſi Chriſtum primitias eorum qui obdormiunt vocat Apoſtolus 1. Cor. 15. 20.

12. Neque omnino ſine veritate iſta carnis reſtituta per reſurrectionem ex mortuis, ſtare poteſt veritas reſurrectionis, quæ flagitat ut hominis cadaver (quod à cadendo dictum Latine Græce & Hebraice) à caſu ſuo quo proſtratum eſt erigatur & ſuſcitetur: ut ſit ἀνάστασις ſicut ſcite vocem interpretatur *Damaſcenus* δευτέρα τῦ πεπτωκότος στάσις, *ſecunda ejus quod ceciderat ſtatio*.

13. Si autem quod ſomniant Anabaptiſtę in Chriſti exemplo, per reſurrectionem iterata ſtatio corporis Chriſti & erectio, in pedibus & manibus carne & oſſibus, deſtructa rurſus eſt per glorificationem in cœlis, quia ſcilicet non poteſt in pedibus & manibus carne & oſſibus eſſe corpus glorioſum in cœlis: fallet illud Angelorum teſtimonium, qui ad eundem modum viſibilem & palpabilem carnis Chriſti redhibitionem in ultimo adventu ad judicium promittunt, quo illum videbant Apoſtoli proficiſcentem, in aſcen-

censione, è terra in cœlum. Act. 1. 11. Ex quo loco etiam interpretandum censemus de exhibitione visibilis veræ carnis Christi in qua crucifixus fuit: locum illum Apoc. 1. 7. Videbit illum omnis oculus: etiam qui transfixerunt ipsum.

14. Nostrorum autem cadaverum veram, in glorioſis quę accipiemus corporibus, instaurationem, seu iteratam erectionem & vindicationem ex morte in gloriam cœlestem: flagitat tota series ac ductus disputationis Apostolicæ 1. Cor. 15. & urgent maxime ista, quod ad plenum Christi de extremo hoste, videlicet morte, triumphum, vivificationem mortuorum exspectandam affirmet: qua omne mortis dominium in membris Christi aboleatur: versſ. 25. 26. cum 54. 55. 56. Atq; robur argumentationis in eo situm est inde à versu 13. Quia Christo à morte excitato nullus amplius peccato stimulus relictus est, ne corpora quidem nostra, ut quę Christi membra sunt, & quorum corruptio est pœna peccati, non sequela naturę integræ, posse manere sub morte & coruptione.

Hic-

Hieronymus ad Pammachium, adversus errores Iohannis Hierosolymitani.

EGo libere dicam: & quanquam torqueatis labra, trahatis capillum, applaudatis pede, Judæorum lapides inquiratis, Fidem Ecclesiæ apertissime confitebor.

Resurrectionis veritas Catholicæ, sine carne & ossibus, sine sanguine & membris, intelligi non potest. Ubi caro & ossa & sanguis & membra sunt, ibi necesse est ut sexus diversitas sit: Ubi sexus diversitas est, ibi Johannes Johannes, Maria Maria. &c.

Mea rusticitas sic credit, & sic intelligit sexum confiteri sine sexuum operibus: Homines resurgere, & sic eos angelis adæquari: &c.

Similitudo autem ad Angelos, non hominum in Angelos demutatio, sed profectus immortalitatis est & gloriæ.

Collegii Theologici Publici III.

Disputatio I.

De

Novo Testamento, in genere.

1. Post detectam Theologiæ Anabaptisticę Gangrenam 1. de Vero Deo, & de Persona Christi. 2. De Dei cum Homine Fœdere, quâ Legali, quâ Euangelico. 3. Reliqui sunt Anabaptistarum errores qui specialius tangunt Novi Testamenti post Christum exhibitum Ecclesiam.

2. Non possunt quidem illi recte sentire de Ecclesię Novi Testamenti Salute & Fide, qui veri nominis Gratiam Christi perimunt, hac erroris efficacia, quod Fœderi Gratiæ revera substituunt Fœdus Legale operum, nobis imperatum à Novo Legislatore Christo: Adeo ut juxta ipsorum Hypotheses nunquam dici possit antiquatum Vetus Legale operum Fœdus per peccati ingressum in mundum: Aut illi antiquato, Novum successisse, sancitum Promissione illa de Semine contrituro caput Serpentis: Gen. 3, 15.

3. Nihil illi quidem censent venire illo nomine Veteris, (quod antiquatum est, & cui successit Novum) præter Legem Cæremonialem Mosaicam. Ut scilicet illa demum antiquata, post Christum exhibitum, initium acceperit Fœdus Novum.

4. Orthodoxa contra assertio ista est: Initium accepisse Fœdus Novum Gratiæ, cum primæva illa promissione jam indicata: cum per Adami & Evæ peccatum antiquatum esset Vetus originale Operum Fœdus.

5. Legislationem autem Veterem Mosaicam, post Christum exhibitum antiquatam, negamus fuisse proprie dictum Vetus Fœdus Legale: sed fuit revera Novi Fœderis Gratiæ exterior & visibilis œconomia Vetus; adeoque per se Fœderis Dei cum Ecclesia spiritualis, non nucleus, sed cortex tantum.

6. Veterem illam Novi Fœderis Gratiæ œconomiam impropria metonymica loquutione vocamus *Testamentum Vetus*, rectius quam *Fœdus Vetus*, posterior enim appellatio catachresin habet ortam ex Græcæ vocis διαθήκη ambiguitate, quæ & Fœdus & Testa-

mentum pro re nata significat.

7. Catachresi tamen, vel eadem vel affini, præit Scriptura, propter illud Veteris istius œconomiæ temperamentum, quo prędominans quasi elementum in illa fuit, Legis & Fœderis Legalis operum violati ἀντίρρησις seu iterata repræsentatio.

8. Nunquam tamen sola Legis & Fœderis Legalis ἀντιρρήσει illa constitit solida conventio Fœderis Dei cum Ecclesia Veteri: sed Verbo promissionis in Christum venturum confirmatum & sancitum fuit Dei Fœdus: Ut solida demum fuerit Theologia & Religio docentium & discentium Salvivifica, quando Legis ἀντιρρήσει comitabatur Verbum Promissionis, ad Fidem ingenerandam, in venturum Servatorem animarum. Adeoque quidquid in Ecclesia hic gestum fuit schemate Legali; in eo Lex fuit salvandis Pædagogus ad Christum. Gal. 3. 24.

9. Post Christum ergo in carne exhibitum cum Novo Testamento, non initium sed complementum suum accepit Fœdus Novum Gratiæ. Novum autem Testamentum cum dicimus, intelligimus Antiquatum Testamentum Ve-

Vetus, (id est Veterem illam promissæ salutis adumbrationem, in ritibus Lege Cæremoniali imperatis, quibus fundebatur ad Testamenti obsignationem typicam sanguis pecudum;) Per consummatam salutem animarum, & plene roboratam, in effusione sanguinis & morte Testatoris Christi: Quæ ubi jam adsunt ut verum corpus: umbræ Veteres desierunt, iisque valedicendum fuit in cultu exteriori. Heb. cap. 8. 9. 10.

10. Sub Veteri autem Testamento jam antiquato, complectimur, una cum Veteri œconomia Fœderis Mosaica, etiam vetustissimam ab Adamo ad Mosem, œconomiam Fœderis Dei cum Ecclesia, ante & post diluvium, visibili: Cui cum Mosaïca communis fuit Sacrificiorum λατρεία seu cultus à Deo imperatus: quibus valedixerunt sub Novo T. Christiani, ex Fide unici veri Sacrificii propitiatorii in cruce oblati: Heb. 10. 18.

11. Dissimulant hic suæ Theologię Gangrænam Anabaptistæ; & videri possint simplicioribus nobiscum pronunciare *Auctores Confess. Faukelio oppositæ, Ecclesiam Veteris & N. T. unam*

facere Ecclesiam Catholicam, Templum Dei viventis: atque omnia utriusque membra pertinere ad unam eandemque Sanctorum communionem: pag: 178. Item: *Fideles V. T. per homogeneam eandemque causam meritoriam Iustificatos cum fidelibus N. T. atque eam accepisse eodem medio, per Fidem nempe, pag. 198.* Item *Habuisse Abelem, Enochum, Noachum, & viros Dei sanctos qui ante Abrahamum fuerunt, sibi & liberis suis, idem Fœdus salutis in Christo, quod habuit Abraham.* Verum ὅμοια λαλοῦντες ἀνόμοια φρονοῦσι: Similia loquentes dissimilia sentiunt.

12. Sub istorum enim verborum cortice later istud quod *Disputatione XXVI.* aperuimus: Partiuntur scilicet Dei in terris Ecclesiam, in partem visibilem & invisibilem, hac notione, ut partem invisibilem faciat Hominum multitudo aliqua, vivens etiam extra congregationem Ecclesiæ visibilis, destituta vocatione omni per verbum Euangelii: qui tamen, secundum ipsos, absque verbo vocationis & fide Euangelii justitiam operantur in ipso Gentilismo.

13. Hoc pacto videntur certe omnino nullam agnoscere ab Adamo

ad

ad Abrahamũ Eccleſiam in terris viſibilem congregatam vocatione diuina per Verbum ſupernaturaliter factum: ſed cenſere primos illos Patriarchas ſalutem adeptos *ſola Lege natura*, abſque aliquo cum Deo Fœdere, videatur *V. L. Defenſ. part. 1. pag. 7. & part. 3. pag. 25.*

14. De reliqua autem, poſt Abrahamum (maxime ſub Moſaica œconomia) Dei in terris Eccleſia ante Chriſtum exhibitum: hoc eſt inter nos & Anabaptiſtas τὸ κρινόμενον; An inter vocatos ad Eccleſiam viſibilem per verbum Fidei credentes, & non vocatos per verbum, non fuerit apud Deum ſpirituale diſcrimen: ſed tantum illud in Cæremoniis cultus exterioris; adeo ut & hi & illi, unam potuerint operari Juſtitiam; illi in viſibili Eccleſiæ congregatione, iſti in Gentiliſmo. Hoc quidem aſſerit aperte ſatis. **Jac. Outerman**, Confeſſ: jam dictæ ſocius: in *Neceſſ. Apologia pro vitandis Juxta Euangelium excommunicatis. Rat. 202. & 220.* Habet ille *Rat. 202. hac formalia; Ethnicis tempore Legis, aque ac nunc præſenti tempore, data erat converſio ad Vitam. Deus Ethnicorum corda purificabat tempore Legis aque ac nunc per Fidem*

in Gratiam Christi. Æque tunc legitimus & Deo acceptus erat, atque nunc, cultus seu Religio Ethnicorum qui Deum timebant & Justitiam operabantur. Vt perspicue & abunde ex Scriptura sacra evinci queat, Non fuisse apud Deum aliud discrimen, aliamve Personarum acceptionem inter Iudæos & Ethnicos: quando parem operabantur Justitiam; quam in solis Cæremoniis Legis, quas illis temporibus observabant Iudæi, alii minime.

15. Atqui istis assertionibus perimitur non tantum omne post lapsum veri nominis Fœdus novum gratiæ, & veri nominis Gratia Christi, & per illam communis Ecclesiæ Catholicæ Salus & Fides, per efficaciam erroris quam *Collegio* 2. deteximus: Verum etiam, quod hujus loci est, perimitur illustris Novi Testamenti character, in antithesi ad Veteris T. œconomiam Mosaïcam: Novitas vocationis Gentium ad salutem in Novo Testamento: quam affirmat Pauli Doctoris Gentium gloriatio, de prædicato à se Euangelio vel maxime illic ubi non nominatus unquam erat Christus Ro. 15. 20. 21: cum Esai 52. 15. & manifestissime confirmat idem Apostolus. Prædi-

dicans hoc esse Mysterium Christi, quod aliis ętatibus non innotuerat filiis hominum, ut nunc retectum est sanctis ejus Apostolis & Prophetis per Spiritum, Gentes esse cohæredes & concorpores consorteſque promissionis ejus in Christo per Euangelium, Eph. 3. 5. 6.

16. Ex contrario autem Anabaptistico Paradoxo, (quo, stante etiam œconomia Mosaïca ante Christum exhibitum, censent nullam fuisse Ethnicorum Rejectionem à spe salutis & justitia Dei, obsignatam Lege Cęremoniali Mosaica) Omnino consequens est absurdum illud; Non Ethnicorum sed Judæorum tantum conditionem in Novo Testamento mutatam in melius: quandoquidem hi tantum non illi, ex hypotheſi, liberati sunt Legis Cęremonialis antiquatæ jugo: Et gratis consequenter Apostolus prædicat Judæorum præ Gentibus sub N.T. olim τὸ περισσὸν seu prærogativam aliquam, Rom. 3. 2.

DISPVTATIO. II.

DE
Vna Ecclesia Veteris & Novi Testamenti.

1. NOvi Testamenti Ecclesiam quamvis à V.T. Ecclesia distinguat Novitas Vocationis Gentium, quam asserimus Disputatione proxima, unam tamen cum illa facit Una eademque Fœderis Gratiæ conventio principalis: Ut non sit alia Novi Testamenti Ecclesia, quam quę antiquissimarum Promissionum Benedictionis hæres est.

2. Hæreditatem illam Promissionum Benedictionis communis Ecclesiæ Veteris & Novi Testamenti, nominatim asserit Scriptura inde ab Abrahamo, ex quo ille per justitiã fidei factus mundi hæres Ro: 4. 13. factus est Pater omnium credentium vers. 16. cum 24. & Gal. 3. 7. 8. 9.

3. Pervertunt hanc in Novi Testamenti Ecclesia Hæreditatem Promissionum, quæ olim Abrahamo factæ sunt, Anabaptistæ; quando prætextu antiquatę Circumcisionis contendunt, nihil facere ad Novi Testamenti Ecclesiæ

cleſiam Dei cum Abrahamo Fœdus Circumciſionis ſigillo obſignatum: quod pariter faciunt Carnale, atque ipſam Carnis Circumciſionem.

4. Hypotheſes ipſorum iſtæ ſunt, *Conditionem à Deo imperatam in Circumciſione Geneſ: 17. non poſſe trahi ad negotium Spirituale; Et quando mandatur circumciſio præputii carnis, in maſculis, ex ſtirpe Abrahami & familia, minime debere intelligi cor maſculorum circumcidendum: In toto hoc negotio ne verbo quidem tangi, purificationem cordis, vel quidquã quod conſcientiam ſpectet: ſed tantum carnis puritatem & mandata carnalia rerum corporalium. Deum in mandatis iſtis Circumciſionis, Paſchatis, & exterioris cultus populi Iudaïci, nihil ab ipſis flagitare aliud quam res externas: V. G, ut in carne circumciderentur. V. L. Defenſ. part. 2. pag. 22. 23. Perperam ex ſenſu Spirituali & Allegorico, fingi præcepta & Leges: quando mandato Legis cæremonialis connectitur ſignificatio ſpiritualis. pag. 27. Quin nihil pernicioſius ad ſeductionem animarum excogitari potuiſſe: pag. 28.*

5. Quod autem Deus Judæis mandat Cordis Circumciſionem Jere. 4. 4. & 9. 25. & Ezech. 44. 9. Illud diluere ſe exiſtimant: iſta evaſione: *Erant iſti*

quos illic Deus compellat, adulti duræ cervicis Israëlitæ, qui Carnem habebant incircumcisam, Cor incircumcisum, & aures incircumcisas: Ea propter, hac admonitione ipsis opus erat. idem *V. L. Defens. part. 3. pag. 23. 24.* Censent scilicet nullum subesse allegoricæ loquutioni argumentum, pro illa quam urgemus Fœderali obsignatione per circumcisionis signum. Enimvero quamvis compellentur locis indicatis adulti, ac moneantur officii; robur tamen admonitionis situm est in Fœderis signo & sigillo, circumcisione carnis: Quod Fœdus ut habet nexum obligationis ad officium adultæ ætate præstandum; ita habet quoq; illam communem adultis & infantibus factam promissionem Gratiæ, Circumcidet Dominus Deus tuus Cor tuum & Cor Seminis tui. Deuter. 30. 6.

6. Illi, neglecta hic spirituali illa promissione, pernegant Promissiones spirituales Abrahamo factas, quarum hæres sit Ecclesia Novi Testamenti: atque asserunt: *Etiam additam Circumcisioni institutæ promissionem (Deum fore Deum Abrahami & Seminis ejus, ipsique promittere terram Canaan in hæreditatem æteram) dictam esse tantum de rebus exterioribus,*

bus, & non ultra. Quis, inquiunt, *aliud quid inde concludat, quam Deum ipsis promittere Vitam longam & tranquillitatem ac pacem in terra? Et vitam ejusmodi beatam, ac dies bonos, quibus Deus postea per Mosem populo suo promissiones plenius explicari voluit. Ex: 23. Levit. 26. Deuter. 7. 28.* Quod, inquiunt, *debebat satis esse, utinde intelligatur, exhibita illis tantum umbra futurorum bonorum, & non ipsa substantia Hebr. 8. & 10. 1. V. L. Defens. part. 3. pag. 24.*

7. Ad seductionem autem simpliciorum tantum comparata est, expostulatio *Auctorum Confess. opposita Faukelio: pag.* 179. 180. de male hic aut intellectis aut detortis scribentium verbis: Quidquid enim hic videantur largiri velle in contrarium, Verba dant tantum: donec nuncium mittant, isti contra Orthodoxam assertionem contestationi: *Vbi verba Promissionis facta Abrahamo, & Semini ejus cum instituta Circumcisione, Genes: 17. accipiuntur de aliis quam temporalibus & corporalibus bonis: Hoc esse revera; miscere figuræ ipsam rem figuratam, adeoque velle figuram obscurare: quandoquidem ipsis ostensa fuit tantum umbra futurorum bonorum non substantia ip-*

ſa, Item: Nuſquam Patribus ſub Lege, antequam veniret Fides, imperatum fuiſſe ut in Ieſum Chriſtum crederent, antequam fas eſſet uti frui Circumciſione, agno Paſchali, aliiſq; Legalibus Caremoniis. Circumciſionem tantum fuiſſe ſignum, ad ſigillum Juſtitiæ: Non ad certiorationem, qua confirmaretur debilis Abrahami fides (hoc, inquiunt, neutiquam ſentiendum de Patre fidei.) ſed multo magis in hunc finem obſignatum in Abrahamo; ut Juſtitia veniens ex fide intelligatur tunc necdum reſerata, ſed Iudæis ſolide obſignata & tecta: ſuo tempore demum, reſerato hoc ſigillo, revelanda. Ea propter Caremonialem Circumciſionem merito nominari ſigillum, & velamen cordis: Quod juſtitia fidei eſſet arcana & occluſa: neque Iudæi Juſtitiam venientem ex fide, in illo Circumciſionis ſigno ac pluribus aliis figuris & ſignis typicis intellexerint; ſed fuerit illa ipſis obſerata: ac demum per Euangelium ipſis ſit revelatum, quod antea per ſigilla iſta obſeratum, ac necdum apertum fuerat. Hæc leguntur in eadem *Defenſ. V. L. & C. v. M. edita a. 1588.* Quis ſit V. L. nos quidem latet. alter C. v. M. eſt **Carel van Mander** Pictor celebris, qui & Epigrammate ſuo & Symbolo iſto *Veritas per ſe valida* librum commendat.

8.

8. Pessime hic quidem aut intellecta aut detorta sunt Pauli verba de Signo Circumcisionis accepto in Sigillum justitiæ Fidei. Ro. 4. 11. Quando illi loco parallelum faciunt istum 2. Cor. 3. 13. 16. De Velamine imposito Judæorum cordibus. Velamen quidem istud, notat maledictam cordis Judæorum indutationem, qua Mosem legentes non intelligunt: Accepto autem Circumcisionis sigillo, benedictionem justitiæ, & fidei confirmationem nactus est Abraham.

9. Abrahamum autem Scriptura nusquam Patrem fidei, sed Patrem credentium vocat: quę Phrases toto cœlo distant. Confirmatione a. & roboratione fidei Abrahamo nulla opus fuisse, sunt Anabaptistarum somnia contra Scripturarum analogiam, de Sanctissimorum etiam virorum in hac vita sanctitate non plene consummata.

10. Id vero est Anabaptisticę contradictionis πρῶτον ψεῦδος, *Non esse huic fini datam Circumcisionem familiæ Abrahami ad significandum, impuram esse nativitatem primam, & ex Adamo vitiatam: Neque celebratam, ad indicandum quod ex carne nostra nasciturus esset Jesus Christus,*

& amputaturus peccata noſtra. Item: *Neque fuiſſe ſignum, quo Deus flagitaret Vitam ſanctam & Cor novum.* Atque ex iſtis hypotheſibus *negant fas eſſe, ex utroque populo unum facere, ex Populo circumciſo & Populo Novi Teſtamenti, ex Iudæis & Chriſtianis. V. L. Defenſ. part. 3. pag. 10.* Cui falſæ aſſertioni opponimus Scripturæ veram affirmationem, quæ aſſerit Chriſtum utraque unum feciſſe Eph. 2. 14, ſcilicet ædificium unum, uni angulari lapidi ſuperſtructum. verſ. 20. 21. &c. Atque omnes, qui ex Fide ſunt hodie aut olim fuerunt, unum eſſe Semen Abrahæ, benedictum in Semine illo quod eſt Chriſtus. Gal. 3. 7. 8. 9. & 28. 29. Chriſti autem Gratiam qua ex primæ nativitatis corruptione vindicamur & regeneramur, fuiſſe Circumciſionis rem ſignificatam: teſtatur locus Coloſ. 2. 11. &c.

11. Quæ autem hic verba dant, quibus videri queant nobiſcum ſentire de communi Abrahami nobiſcum ſalute & Fide in Chriſtum: ut intellexerit umbras & typos eſſe umbras & typos venturi Chriſti: Iſtis nihil ultra largiuntur, quam extra ordinem Abrahamum ac ſimi-

similes aliquos Prophetas, Illuminatos fuisse, supra communem Ecclesiæ Veteris Fidem: ut scilicet, tam latuerit illos quod vidit & credidit Abraham, quam nos latent Illa quæ vidit Paulus raptus in tertium cœlum. Atqui Communem Ecclesiæ V. T. cum Patriarchis & Prophetis Fidem, ab ipsis videntibus ex officio traditam & propagatam, flagitat iplorum officium, & quidem ab Abrahamo fideliter obitum, Deo ipso attestante. Genes. 18. 17. 18. 19. *Vide Disput. nostram de Ecclesia V. T. Communi nobiscum fide & religione.*

Disputati III.

De *Lege Cæremoniali abrogata in N. T.*

1. EXaminandæ jam pressius Anabaptistarum de Lege Cæremoniali abrogata in N.T. hypotheses: quarum princeps illa est, *Non fuisse Vetus ministerium Legis Cæremonialis institutum, ad conscientias convincendas de immunditia spirituali, ejusque expiationem*

nem veram typice obſignandam: Qua hypotheſi, ut à nobis indicatum jam eſt *Diſput*: *XII.* perimunt omne Fœdus Dei Spirituale cum Eccleſia V. T. Judaïca.

2. Brutam ergo faciunt & minime λογικὴν rationalẽ λατρείαν cultum & religionem Moſaicam, qua diſcernebantur à Gentibus Judæi: Et, contra Scripturæ analogiam, *nullam*, (*ſtante œconomia Moſaïca V. T.*) *Gentium Rejectionem* à ſpe ſalutis admittunt: ſed potiorem faciunt (quod attigimus *Diſp*: *XXIX.*) temporibus V. T. conditionem Gentium quam Judæorum.

3. Lubet hic audire quomodo torqueant locum illuſtrem *Coloſ. 2. 13. 14.* ubi *peccatorum chirographum* conſtituit Apoſtolus in mandatis Legis Cęremonialis, Scribit *V. L. Defenſ*: *part*: *1. pag. 9. Legem Cæremonialem Coloſ. 2. appellari chirographum, quo ſcilicet Deo obſtrictus erat populus Iudaïcus: Illi enim promiſerant, quicquid Deus per Moſem ediceret, id ſe velle audire & facere. Hac Lex poſita erat contra Iudæos: Idcirco Paulus ſcribens Gentibus, non dicit ipſis contrarium fuiſſe chirographum: ſed nobu, inquit, contrarium: ipſe quippe unus ex eorum numero quos*

ſtrin-

stringebat chirographum, nempe Iudaeorum: Ethnici autem minime illi jugo Caeremoniarum erant obnoxii: neque illa Lege convinci poterant: quia promissione illa se non obstrinxerant, neque illam ab ipsis Deus flagitarat: Nam Ethnicus qui inter Israelem habitabant, non injunctum fuit per Mosem, ut Circumciderentur: Sed in ipsorum libera optione illud relictum erat in Lege. Ex. 12. 48.

4. Enimvero, ex isthoc quidem loco Ex. 12. 48. contrarium evincitur, nempe Ethnicos quotquot Deo conciliati fuerunt, ad ejusdem cum Judæis fidei & cultus contesserationem, obligatos fuisse ad suscipiendum cum Circumcisione Legis Cæremonialis jugum.

5. Quotquot ergo Hierosolymis habitarunt, ex omni populo qui sub cœlo est, *viri ἐυλαβεῖς Religiosi*, de quibus sermo est Act: 2. 5. illos non alios intelligimus, dictante ipso Luca v. 11. quam *Iudeos & proselytos:* nullos autem agnoscimus quos hic obtrudunt Anabaptistæ, *pios gentiles, qui sola Lege naturæ ducerentur: seu qui sine Lege aut Fœdere supernaturali viverent* ἔθνικῶς.

6. Exemplum, quod huc rapiunt Anabaptistæ, *Cornelii Centurionis* ex *Act.* 10. nullum est: quia ille vixit,

ac

ac pietas ejus commemoratur, poſt antiquatam jam de jure divino Legem Cæremonialem, ac ſublatum intergerinum parietem, qui ab Eccleſia excludebat præputiatos: Ut cenſeri ille debeat, quamvis neglecto exteriori Judaiſmo, vixiſſe non ut Ethnicus, ſed ut catechumenus Chriſtianus.

7. In communi autem hoc Anabaptiſtarum errore, quo divellunt in inſtituta olim Circumciſione, & reliquo cultu exteriori, à ritibus ſignificantibus, cordis purificationem ſignificatam: dimicant interim ipſi, & ſententiis diſſident, ubi ad locum *Matth. 18. 17. (Sit tibi tanquam Ethnicus,) de vitandis ſecundum Legem Ethnicis* diſputant: Sunt enim qui opinantur, *vera Iſraelitarum Religione, non eouſque interdictum fuiſſe Ethnicis præputiatis, ut non cenſerentur puritatem illam habere, qua ipſis pateret introitus in congregationem Domini, ad ſacrificandum Deo*: Aliorum autem potior eſt ſententia: *Debuiſſe Iudaiſmo initiari & Proſelytos fieri per circumciſionem.* Interim & hi & illi; nullam flagitant (ex inſtitutione publici in congregatione illa cultûs ſacrificiorum) cordis purificationem, ut jam dictum:

Quod

Quod refellit locus Ezech. 44. 9. arcens introitu vel maxime præputiatos corde.

8. Nec patitur se ad mentem Anabaptistarum torqueri locus *Thesi. 3.* indicatus Colos. 2. 13. 14. Neque minus Ethnicos quam Judæos intellexit Apostolus, verbis illis ὁ ἦν ὑπεναντίον ἡμῖν, *Quod erat nobis contrarium.* Quomodo enim non tangeret hic Ethnicos, Colossenses nominatim ad quos scribit, Apostolus? cum hanc illis gratiam Christi gratuletur inde à v. 10. loquutus illis in persona secunda: Ac manifeste versus 14. habeat periphrasin istorum verborum, quibus clauditur versus 13. *Condonans vobis omnia peccata.*

9. Vere ergo asserimus, charactere præputii Ethnicos stante olim Judaïsmo exclusos fuisse ab Ecclesia Judaïca; non tantum ob carnis impuritatem, ritu carnali, sed ut Peccatores ac Dei inimicos; vitandos in convictu, non tam propter ipsam escam aut potum, quàm propter morum corruptelam & contagium vitandum. vide Levit: 22. 27. Deut: 7. 3. 4.

10. Confirmat assertionem nostram:

ſtram: Quod Ethnicos Apoſtolus antonomaſtice *Peccatores* vocat Gal. 2. 15. in Antitheſi ad Judæos: & quod exemplariter facit Epheſios, olim viventes in Gentiliſmo, *in peccatis mortuos*: ſine Deo ſine ſpe ſalutis Eph. 2. 1—12. Quæ antitheſis hoc flagitat inter Judæos olim & Gentes diſcrimen: vixiſſe & mortuos fuiſſe Ethnicos (in Gentiliſmo alienos à Republica Iſraelis) in peccatis ſuis: ſine illa, qua gaudebant in populo Iſraelitico fideles, peccatorum remiſſione.

11. Atque ex toto contextu capitis Eph. 2. manifeſtum eſt, vocari ab Apoſtolo verſibus 14. & 15. Cæremonias Legis Veteris, Septum intergerini parietis: & Inimicitias; non alio nomine, quam quod vellet Deus excluſos ab Eccleſia Ethnicos, ut inimicos Deo & Eccleſiæ Dei, donec per Circumciſionem ex Ethnicis fierent Proſelyti.

12. Neque alius poteſt eſſe verus verborum Chriſti *Matth.* 18. 17. commentarius; quam iſte, ſicut à Janitoribus Templi, clavium uſu legitimo, arcebantur Templi introitu Ethnici præputiati, ut immundi peccatores; ſic

sic legitimo usu clavium, quas Ecclesiæ N. T. tradidit Christus, à Sanctorum communione arcendos esse, quos ligat in cœlis Deus, & quorum tenentur peccata. Matt. 18. 18. Ioh. 20. 23.

13. Chirographum ergo illud rituum primo & principaliter affirmamus *Ethnicis* contrarium fuisse; inter Judæos autem, *Iudæis tantum incircumcisis corde, qui* juxta verbum Christi habendi erant *tanquam Ethnici*, quod se Legi non subjicerent cum vera cordis purificatione, quæ mandatorum finis erat. 1. Tim. 1. 5. cum vers. 9. Judęis autem circumcisis corde Cæremoniæ legales ministrabant signa & sigilla Justitiæ fidei, quæ non ipsis contraria erant, sed tantum *Veteri homini* in ipsis mortificando.

14. Breviter ergo contra omnem Scripturæ analogiam est: Quod Libertatem Christianam, Legis Cęremonialis antiquatione partam, asserunt non Ethnicis, scilicet jam ante liberis; sed, Judęis, qui scilicet soli miseri erant, ut sub Legis custodia in carcere & servitute constituti.

15. Neque hic illis favet locus Gal. 4. 3. Non enim Apostolo in mentem

tem illud venit, quod Anabaptistis placet: ut doceret ex liberatione illa, & assertione in libertatem Christianam. N. T. hoc consequens, Judæos duriori servitute & carcere olim pressos fuisse sub Lege Cæremoniali, quam Ethnicos extraneos à Rep. Israelis, Nam ἀλληγορίαν contradicit Apostolus isti errori ipso illo capite: quando asserit fuisse Judæorum carcerem & servitutem illam Pædagogicam, qua non obstante ipsi ut filii Dei hæredes erant omnium vers. 1. A quo filiorum Dei censu eliminat ut servos, Ethnicos Galatas, quando Deum ignorantes serviebant iis qui natura non sunt Dii. vers. 8.

16. Ex illa Anabaptistarum hypothesi, quam notavimus Thesi. 3. Qua liberos faciunt Ethnicos sub V. T. à Lege Cæremoniali, hoc nomine quod non eodem quo Judæi voto se obstrinxissent: Porta aperitur Libertinismo, quandoquidem supponitur istud πρῶτον ψεῦδος. Non esse præscriptum divinitus, illis quos Deus vocat ad salutem; cultum rationalem in Ecclesia institutum mandato divino: neque imperatam visibilem aggregationem ad Ecclesiam

cleſiam, & communionis ſanctorum conteſſerationem: Sed relinqui etiam illud arbitrio & optioni liberæ, illorum qui volunt ſalvi fieri: velint ne communicare per ſymbola & ritus inſtitutos Eccleſię viſibili, An vivere ſegreges. Vide noſtram Diſput. Select: IV.

Disputatio IV.
De
Scriptura Sacra Teſtamenti Veteris & Novi.

1. EOdem Paralogiſmo quo Anabaptiſtæ, propter antiquatam & abrogatam in N.T. Legem Moſaïcam Cæremonialem, omnino Novam cenſent, ac olim in V.T. nullam, religionem & fidem ac cultum ſpiritualem, quibus jam conſtat Chriſtianiſmus verus: exiſtimant quoque ejuſdem religionis fidei ac cultus Spiritualis Canonem ἀυτόπιστον, ſeu per ſe & propter ſe credendum & fide dignum, conſtare ſola Novi Teſtamenti Scriptura, quę exſtat in libris Euan-

gelistarum & Apostolorum, scriptis post Christum exaltatum.

2. De libris autem Biblicis Mosis & Prophetarum, qui metonymice ab Apostolo dicuntur *Vetus Testamentum. 2. Cor. 3. 14.* sic censent; non sufficere in N. T. ad dogmatis alicujus de Fide aut Fidei obedientia demonstrationem, Verbum scriptum Mosis aut Prophetarum Veterum, donec habeamus expressum in Novo Testamento verbum scriptum Christi vel Apostolorum, quo idem dogma aperte demonstrari queat. Ut eo pacto Mosi & Prophetis credatur, non propter illam qua ipsi olim scripserunt inspiratione divinam, sed propter consensum Spiritus S. qui dictavit Scripturam N. T.

3. Hæc est explicata post multas tergiversationes sententia, Anabaptistis Colloquutoribus expressa, in *Colloquiis, Francothalensi, anni 1571. Artic. 1. & Leovardiensi. A. 1598. Actione 11.* quam legere est in *Diederici Philippi* (qui *Mennonis S.* Collega ἰσόψυχος fuit) *Præfatione in libellum de Spirituali restitutione*, qua monet simpliciores, ut ab illis, ut deceptoribus ac *falsis Prophetis*, sibi caveant, qui *quod confirmare non possunt ex*

No-

Novo Testamento , illud probant ex Veteri Testamento, & litera Prophetarum. Hinc, inquit, *orta sunt variæ sectæ; hinc varii falsi cultus instituti, ex hoc fonte præcipue manarunt Cæremoniæ idololatricæ & pompa Ecclesiæ Antichristianæ, & deploranda sectarum seditiosarum sphalmata.*

4. Similiter post aliquas verborum ambages pronunciant *Auctores Confessionis præmissæ Martyrologio Anabaptistico, & seorsim quoque editæ Artic. 11. Christianos omnes (in iis, quæ ad Fidem spectant) debere se necessario regulare & componere tantum ad Euangelium Christi (in Novo Testamento expressum.)* Quibus concinunt *Auctores Confessionis oppositæ Faukelio: Qui Artic. 1. pag. 37. ad Interrogationem istam, An capita Christianæ Fidei & Vitæ, pariter possint & debeant confirmari ex libris Canonicis V. T. eo pacto* respondent, ut longum quidem texant Catalogum Dogmatum quę confitentur *probari posse pariter ex libris Veteris & N.T.* Sed quæ tantum faciunt ad Theologiam Legalem & Fœdus operum, quo illi perperam definiunt Fidem & Religionem, quam communem olim faciunt, cum Judęis, etiã Ethnicis qui in Gentilismo sola rationis luce ducerentur.

5. Quapropter mox excipiunt à censu illorum dogmatum ex Veteri Testamento demonstrabilium: *Modum Obedientiæ, & Res ipsas in quibus Deus à nobis obedientiam flagitat: de quibus in N. T. Christus per se vel per Apostolos loquutus est.* Et alibi, sine ambagibus, sic definiunt in dogmatis Fidei doctrinam inter se collatam Veteris & N. T. ut V. G. *Deus qui se in V. T. revelavit in genere, ut Deum unicum, in N.T. adjecerit revelationem illam, Tres esse in cælo, qui testantur, Confess. oppos. Faukel. pag. 46.* Rursus *V. L. & C. V. M. Defens. part. 3.* sic pronunciant: *Viam salutis patefactam non fuisse in V. T. pag. 6. Patres Deo placuisse in obedientia mandatorum Mosaïcorum, ut in primis elementis Doctrinæ cælestis, illius qua pervenitur ad vitam beatam: pag. 16. Non habuisse Iudæos in Cæremoniis, pariter ut Christianos, Iustitiam Fidei. pag. 21.* Breviter, in eo totus est auctor ille quisquis est *V. L. pag. 22. 23. 24. 25. &c.* Ut soli N. T. vindicet *mandata & promissiones rerum spiritualium*; nihil autem relinquat Scripturæ V. T. ut Judæis tradite, præter *Mandata carnalia, & Promissiones terrenas.*

6. Contra istas assertiones perniciosas

oſas erit hujus loci iſthoc Antidotum univerſale: ſi vindicemus: ex ipſa Novi Teſtamenti Scriptura, Teſtamento veteri parem cum Novo ἀνυφεσίαν, ad demonſtrationem Religionis Chriſtianæ: Ut quamvis non abſq; novo illo librorum Apoſtolicorũ ſyntagmate integrum aut completum jam cenſeamus Canonem Theologiæ Chriſt. ac largiamur etiam illud, pleniorem & apertiorem eſſe in Novo quam in Veteri librorum Biblicorum ſyntagmate revelationem Euangelii & Gratiæ Chriſti: Tamen nec abſque Moſe & Prophetis, eundem Theologiæ Chriſtianæ Canonem cenſeamus integrum & complerum.

7. Sex argumentis orthodoxam aſſertionem ſolide confirmavit *in Colloquio Francothalenſi*, *P. Dathenus*, ad Anabaptiſtarum ἐπιχειρεμὸν quantum ad Fidei negotium. *Primum* fuit petitum, ex Claſſe illa teſtimoniorum, quibus Scriptura Prophetica V. T. commendatur ab explorata puritate, inſtar argenti, ſepties perpurgati: Pſal. 12. 7. ut Immaculata, convertens animas, fidelis ſeu certa, ſapientiam præſtans parvulis, Lucida, illuminans oculos,

permanens in sæculum sæculi Ps. 19. 8. 9 10. Cui nihil adjiciendum, nihil auferendum. Deut 4. 2. & 12. 32. Prov. 30. 6.

8. *Alterum argumentum Datheni fuit,* Quod ad Scripturæ V. T. Canonem regularit Christus ipse & Apostoli prædicationem Euangelii. *Tertium,* Quod juxta Scripturas Propheticas se credere testatus est Paulus ad Christum conversus. Act. 24. 14. *Quartum:* Quod idem Apostolus Euangelio prędicato protestatus est nihil se loquutum aut docuisse extra Mosem aut Prophetas Act. 26. 22.

9. *Quintum* petitum fuit ex loco Ro. 16. 25. & 26. ubi mysterium præconio Euangelii revelatum, dicitur per Scripturas Propheticas, ex imperio æterni Dei ad obedientiam Fidei omnibus Gentibus declaratum.

10. *Sextum* petitur ex loco illustri 2. Tim. 3. 15. ubi Sacris illis Scripturis, quas ab infantia didicerat Timotheus, perhibetur testimonium istius sufficientiæ: ut possent ipsum instruere ad salutem, per fidem, quæ est in Christo Jesu.

11. Locum illum Argumento V. pro-

productum Ro. 16. tacite pro ſua ſententia torquent Anabaptiſtæ *Confeſſ. oppoſ. Faukelio. Art. 9. pag. 124.* ubi à voluntate Dei revelata in V. T. ſegregant revelationem Euangelii per Chriſtum prædicati, ut *revelationem extremæ voluntatis, quæ uſque ad tempus N. T. fuerit myſterium à temporibus æternis tacitum.* de quo loquitur Apoſtolus Ro: 16. 25. Atqui fallunt & falluntur, Quia ex verſu ſequenti 26. ſatis liquet intellexiſſe Apoſtolum Myſterium, non abſolute nec omnino, ſed inter Gentes ſub Moſaïca œconomia V. T. à multis ſæculis tacitum.

12, Argumentum *Datheni* ſecundum, quoad Chriſti ipſius prędicationem, regulatam Canone Scripturæ Sacrę V. T. confirmat Chriſti provocatio ad Doctrinæ ſuæ examen ex Scripturis: Joh. 5. 39. Scrutamini Scripturas : nam vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere, & illę ſunt quæ teſtificantur de me. Cum quo verſu hic conjungendi ſunt duo ultimi verſus 46. & 47. Si crederetis Moſi, crederetis mihi : de me enim ille ſcripſit: Quod ſi illius ſcriptis non creditis quomodo verbis meis credetis.

13. Accedit quod Sadducæorum hæresin, contradicentium doctrinæ Christi de mortuorum resurrectione, Christus imputat Scripturæ Propheticę ignorationi: Matth: 22. 29. Et quando Discipulorum Christi Fides fluctuabat, & sopita videbatur, circa articulos Fidei Euangelicos, de Morte, & resurrectione Christi: ne id imputandum existimetur imperfectioni Scripturarum V. T. non aliunde demonstrationem istius Fidei arcessivit Christus, in itinere Emmauntico, quam ex Mose & Prophetis, cum acri illa increpatione, qua fluctuationem & ignorantiam ipsorum imputat amentiæ & tarditati cordis ipsorum, ad credendum omnibus, quę loquuti erant Prophetæ. Luc. 24. 25. 26.

14. De Scripturæ V. T. sufficientia & ἀυτάρκεια in regula vitę Christianæ, omnisque cultus & observantiæ Deo debitæ, hic sufficerit indicasse Apostoli testimonium. 2. Tim. 3. 16.

15. Et Christi ipsius protestationem illam Matt, 5. 17. 18. 19.

DISPVTATIO. V.

DE
Verbo Dei Interno.

1. COmmunes quidem Anabaptiſtarum hypotheſes habuimus, de Canone Scripto Religionis Fidei ac cultus Spiritualis, quod ille, αὐτόπις & ſeu per ſe & propter ſe credendus, conſtet ſola Novi Teſtamenti non Veteris Scriptura Sacra. At porro Concordia diſcors eſt, circa Canonem iſtum ſcriptum N. T. An ſecundum illud Verbum ſcriptum ſolum, ut Canonem & Regulam Fidei Salvificæ unicam, fiat omnis Dei ad hominem alloquutio, cui debetur audientia & obedientia Fidei.

2. Tuentur hic alii ſententiam affirmantem veram, non tameu ſincere, nec ſine Sociniſmi fermento, circa Hominis Regenerationem; quaſi ad illam ſola Verbi foris prædicati gratia, nulla autem interiori efficaci operatione Spiritus S. regenerantis, opus ſit.

3. Contra iſtos alii ſic diſputant, ut prætextu tuendæ efficacis & interioris gratiæ Regenerationem perficientis,

similia nobiscum loquentes, patrocinentur *Swencfeldio* & *Enthusiastis*, ac tueantur aliud præter Scripturam S. Verbum Dei internum. Exstant super hac controversia plurima scripta polemica, inde ab anno 1625. edita, quando inter *Nitterdum Obbes* & *Hans de Ries* schisma Amstelodami exarsit, excuso contra *H. d. R.* pro *N. O.* libello, cui titulus **Baegbesem**: seu *Scopæ ad Enthusiasticas & Swencfeldicas Aranearum telas everrendas ex Mennonitarum Synagogis.* Cui libello, H. d. R. suum opposuit rescriptum a. 1627. cujus pagina 194. 195. suæ disputationis summam complectitur tribus istis assertionibus. *1. Esse geminum seu duplex Verbum Dei, unum Iesum Christum filium Dei ipsum: alterum Scripturam sacram, seu summam librorum Veteris & Novi Testamenti. 2. Deum intus vel foris hominem alloqui non tantum Verbo scripto aut prædicato; sed πολυτρόπως multifariam; maxime vero per se ipsum, per Christum, vel per Spiritum S. 3. Deum vel Spiritum ipsius S. in homine operari & efficere Fidem & Regenerationem, non per solum scriptum aut foris prædicatum verbum, sed per verbum Dei internum Christum Dei Filium.* Atque in his non re-

retur profiteri ſuum cum *Swenckfeldio* conſenſum: *Muntzero* autem *Denckio*, *Hetzero* & *Monaſterienſibus* videri vult relinquere ſomnia & Ethuſiaſmos ſuos. *pag.* 12. 20.

5. Ad brevem ex inſtituto controverſiæ iſtius Cenſuram: notamus primo, ad μεθοδείαν τῆς πλάνης comparatam, malam Enchireſin iſtam, qua pro Reali Nominalis quęſtio arripitur, eaque minime controverſa, atque cum Reali controverſa quęſtione, vel indocte, vel mala fide confunditur. De Nomine enim λόγ☉ Verbum, Sermo, extra controverſiam illud eſt, tributum eſſe etiam ipſi Deo Filio Joh. 1. 1. Apoc. 19. 13. & aliis locis nonnullis. Atque hujus ambiguitatis obſervatio Præcognitum tantum eſt Diſputationis realis; quæ ab iſthac ambiguitate liberata, relinquit Univocum iſtud Quæſtionis ſubjectum *Sermonem Chriſti*, qui *Sermoni Chriſto* relative oppoſitus eſt, ut ab ipſo λαληθεὶς λόγ☉ enunciatum Verbum: Heb. 1. 1. & 2. 2. Joh. 12. 48. & 15. 3. Quod determinata magis voce Græca alterius Etymi, quæ ad Sermonem Chriſtum applicari ſe non patitur τὸ ῥῆμα

κυρίε Verbum Domini dicitur. 1. Pet. 1.25. confer Rom. 10. 17. Joh. 3. 34. & 8. 47. Apoc. 17. 17.

5. Hac interim obſervatione Grammatica, qua ſolum nomen Græcum λόγος, minime autem τὸ ῥῆμα: Filio Dei convenienter tribuitur, corruunt evaſiones *H. d. R.* quibus non patitur de Verbo ſcripto accipi elogia iſta quod ſit *Verbum vitæ æternæ* Joh. *6. 63. 68. Semen Regenerationis, & organum ſanctificationis Eccleſiæ* Eph. *4. 26. 1.* Pet. *1. 23. 24. 25. Gladius Spiritus* Eph. 6. 17. Quæ tamen loca aut omnino non habent nomen illud λόγος, aut illud per Synonymum ῥῆμα explicant, quod omnino indocte, & non niſi hæretica phraſi, ad Chriſtum ipſum torquetur.

6. Realis ergo controverſa quæſtio manet de illo tantum proprie dicto Dei verbo, quod ſolum ῥῆμα Θεοῦ Græcè dicitur: de quo generatim conſenſus eſt in Theſi iſta, quod Canon ſit Theologiç, & Fidei, ſecundum quẽ Deo loquenti debetur audientia & obedientia: controvertitur autem, an habeatur hodie in ſola Scriptura Sacra, ut in illa ſola unicus perfecte ſufficiens ſit Canon Theologiæ & Fidei; an vero,

jam

jam quoque juxta Scripturam ſacram, ſicut olim ante conſtitutum Scripturę Canonē πολυτρόπως Deus eloquatur Verbum ſuum: V. G. etiam per ſomnia, & ſpirituales enthuſiaſmos, ac raptus Propheticos. Hęc enim eſt contra N. O. ſententia *H. d. R.* quem non veretur hic provocare, ac pronunciare *fruſtra laboraturum ipſum, ſi probare voluerit, mutatum à Deo ordinem iſtum, quo olim ante Diluvium per Spiritum, & antē Moſem per Verbum internum non ſcriptum, Patribus loquutus eſt. pag. 153. 154. 155. &* ex iſthac hyotheſi pro *allaquutione in ſommiis* diſputarat pag. 17. ex *Iob. 7. 14. & 33. 15.* Atqui apertiſſime mutatum ordinem teſtatur Antitheſis Apoſtoli Heb. 1. 1. & confirmat denunciatum Anathema contra quaſcunque ad Scripturam S. adjectiones, revelationum ſpiritualium. Gal. 1. 8. 9. Apoc. 22. 18. 19.

7. Atque hic toto cœlo diſtat ab Orthodoxorum ſententia Theſis illa tertia, qua ex parte ſimilia nobiſcum loquens aſſerit, *Deum vel Spiritum ipſius in homine operari & efficere Fidem & Regenerationem, non per ſolum ſcriptum aut foris prædicatum verbum, ſed per Verbum Dei*

internum, Christum Dei filium. Quandoquidem non agnoscit Verbum scriptum aut prædicatum esse *Regenerationis semen*, quod nos affirmamus: Quapropter neque intelligit veram illam in cordibus benedictionem Spiritus S. qua Semini verbi, scripti aut foris prędicati, & auditi ac custoditi, dat incrementum, Scripturę apographum inscribens cordibus 1.Cor.3.& 2.Cor. 3. sed altius quoddam (supra Verbum scriptum) Spiritus & Christi intus loquentis magisterium perfectionis spiritualis, quam non præscribit litera.

8. Accedit quod *H. d. R.* suæ isti assertioni in speciem Orthodoxæ, *Vt homo sit* Θεοδίδακτος *necessum esse ut ad Verbum scriptum seu prædicatum accedat interior efficacia & operatio Spiritus S.* (*pag. 161.*) substernit Heterodoxam hypothesin de præpostera illa *Gratiæ Christi Vniversalitate, qua, ne quidem illas in mundo Gentes, quibus ignotum plane & inauditum est adeoque nullum Verbum Dei scriptum; Deus destituat gratia regenerante Spiritus S. & alloquutione Verbi interni, quod ipsi est Christus Filius Dei.* Adeo ut adversarium suum *N. O.* urgeat hoc absurdo: *Quod ἀδύνατον sit*, (non con-

ces-

ceſſa alia præter Verbum ſcriptum divina alloquutione interna, qua ſcilicet illis etiam gentibus intus loquatur Chriſtus λόγος;) *porro tueri Gratiam Vniverſalem, hactenus univerſali omnium Anabaptiſtarum conſenſu propugnatam. pag. 151.*

9. Hinc enatum ipſi Paradoxon illud, Poſſe eſſe Fidem in Chriſtum veram Juſtificantem, etiam abſque ulla notitia hiſtoriæ Euangelicæ aut Verbi Dei prædicati aut ſcripti; quod, indirecte, ſatis tamen aperte, aſſerit, adverſario ſuo moventi hoc Problema, & recte neganti ex *Paulo Rom. 10. 14. 17.* hoc reſpondens; ſuis verbis: *Quandoquidem in hiſce noſtris regionibus Evangelica hiſtoria, Verbo Dei ſcripto comprehenſa, abunde prædicatur & docetur: arbitror, Fidem illam de qua me interrogas, ordinarie in hiſce regionibus vix* (niet wel) *eſſe poſſe ſine aliqua notitia Euangelicæ hiſtoriæ. pag. 326.*

10. Quod de altiori ſupra Scripturam magiſterio, & ſapientia Scripturis minime expreſſa tangebamus; (quæ perperam & fruſtra palliatur titulo intus regenerantis gratiæ Spiritus S.) prodit idem *H. de Ries*; quando à *Verbo ſcripto* ſecludit, *illa quæ per Spiritum S. die*

Pen-

Pentecostes effusum Apostolos suos docuit Christus: detorquens hic, exemplo Pontificiorum, *locum Ioh. 16. 12. Multa habeo vobis dicenda &c.* Hoc scilicet confirmaturus contra *N. O. quæstionem 26. non tentari Deum, quando, ubi ad manum est Verbum Euangelii scriptum aut prædicatum, ultra quæritur & exspectatur privatus enthusiasmus seu Spiritus S. illuminatio, operans extra seu absque Verbo scripto.* Nos quamvis contra *N. O.* asseramus pie flagitari, & necessariam esse, intellectus illuminationem ad Scripturarum salutarem intelligentiam: attamen impie Deum tentari dicimus: quando ultra illa quæ nobis dicta sunt in Scripturis, exspectantur alia quæ nobis præter & extra Scripturas, intus dicenda habeat Spiritus S.

Disputatio VI.

De

Fine Legis & initio Euangelii.

1. Per efficaciam erroris, quo nolunt Anabaptistæ pariter ἀνώτατον Canonem esse Religionis Christianæ Scripturam S. Veteris ac No-

Novi Testamenti; ἀδύνατον est ut Uniformiter divinam esse patiantur Auctoritatem Doctrinæ etiam illius quæ libris Novi Testamenti consignata est; illam scilicet ante Christum mortuum & exaltatum, à Johanne Baptista, quin à Christo ipso in diebus carnis, prædicatam, non possunt habere eodem loco, quo habent Prædicationem Apostolorum in Christi nomine, post Christum exaltatum, & effusum in Apostolos Spiritum Sanctum.

2. De Johannis quidem Baptistæ universo ministerio quid sentiant, in aperto est: quandoquidem Baptismum ab illo ministratum, post Christum exaltatum censent pro nullo habitum; ut nove baptisandi fuerint ab illo olim baptisati: Ex ista quam tuentur hypothesi, *Iohannem minime fuisse Ministrum Novi Testamenti, ac Doctorem Iustitiæ non Euangelicæ sed Legalis: Ac Responsa Iohannis, quæ dedit baptisandis ad normam vitæ & morum, Legalia esse non Euangelica:* Quæ infra excutienda erunt in titulis de *Anabaptismo*, & *de Bello, Christianis licito an illicito.*

3. De ipso Christo prædicante in diebus carnis hanc etiam gangrænam se-

fecit Theologia Anabaptistica: Ut, qui ex ipsis videri possent proxime ad veritatem accedere, in determinatione quęstionis *de Fine Veteris & Initio Novi Testamenti*, quando asserunt, *Non impletam per Christum Legem ante toleratam mortem:* hoc monstri alant: Novæ Legislationis Christi (quæ ipsis est Gratia Euangelii) colophonem demum accessisse, post mortem Christi ab Apostolis prædicato Euangelio, Adeo ut *tam solide stari non possit prædicationi & exemplo Christi nondum exaltati, ad fugam pollutionis spiritualis, in Ecclesia Christiana, Euangelio dignam: atque doctrinæ ab Apostolu traditæ*: Quod hoc argumento putat se extorquere posse Jac: Outerman/ *Defens. Necessar. Rat. 397. Quia Christus non ferijt ilico excommunicatione neque excluſit Apostolatu Petrum, gladio ferientem & mox Dominum abnegantem cum sui execratione: Iam autem similiter lapsum similiter tolerare & Excommunicatione non ferire, indignum esset Euangelio.*

4. Orditur ille hanc demonstrationem, seu Thesin suam præmittit istis verbis: *Vt a. scias doctrinam Christi non pariter firmam & ratam habendam esse in omnibus, ante Passionem, atque post Mortem*

tem ipſius: & Antitheſin ſibi refutandam exprimit Verbis illis: *Tam ratum habendum in omnibus articulis Novum Teſtamentum ante mortem Chriſti quam hoc tempore.* Ut erroris prętextas ſit, in male arrepto loco Apoſtoli. Hebr. 9. 15. 16. 17. De Teſtamento non rato niſi in mortuis, ſeu intercedente Teſtatoris morte.

5. Atqui nihil, ad magis vel minus ſolidam & ratam auctoritatem Doctrinæ prędicatę ſeu Legiſlationis Chriſti, facit locus ille: In quo Teſtamenti morte Teſtatoris demum rati allegoria, perimit illam *de Chriſto Novo Legiſlatore* hypotheſin, ac Gratiam Chriſti Euangelicam revocat, ad promiſſionem æternæ hęreditatis, roboratam ac ratam, per impletam Legem, Chriſti Sponſoris noſtri obedientia, in morte conſummata, non autem nova Legiſlatione.

6. Nil ergo niſi Labyrinthus eſt, Anabaptiſtarum inter ſe digladiatio, *de Fine Legis & Initio Euangelii* conſtituendo, *1, An in die Nativitatis Chriſti, quo Euangelium de Chriſto exhibito ab Angelis prædicari cœptum eſt. Luc. 2. 10. 11. 2. An in anno primo Prædicationis Chriſti, quod*

inde Initium Euangelii Iesu Christi Filii Dei ordiatur Marcus cap. 1. 15. & quod dixerit Christus Luc. 16. 16. Lex & Prophetæ usque ad Iohannem: confer. Hebr. 1. 1. &c. 3. An demum in Christi morte. Heb. 9. 15. 16. 17. Quarum sententiarum facilis est conciliatio; si tantum quæritur *Chronologica Novi Testamenti Epocha*, qua Veteri Antiquato successit.

7. Plenitudini enim illi temporis in qua Veteri Testamento successit Novum, omnino tribuenda est latitudo aliqua, in qua per prædicationem Euangelii de Christo exhibito, inde à die Nativitatis, usque ad Mortis articulum, in quo consummavit Christus opus quod Pater ipsi dederat ut faceret, via muniri cœpit Antiquationi Veteris Testamenti: ipsum tamen Antiquatum non fuit, nec promulgatum Novum, antequam post mortem & resurrectionem atque ascensionem Domini, ab iis qui ipsum audiverunt, prædicata est plene consummata Gratia & Salus per Christum. Heb. 2. 3. 4. cum Act. 2.

8. Interim quamvis non Antiquato Veteri Testamento, Euangelica fuit non Legalis prædicatio, ut Christi ipsius & discipulorum, sic Johannis etiam

am Baptistæ præcursoris Christi: videlicet ista: Adesse jam, natum ex muliere, promissum olim Messiam, ad mox tollendum peccata, sui corporis sacrificio, ut verum Agnum Dei, olim adumbratum typo Agni Paschalis aliorumque agnorum & victimarum, quæ mactabantur ad promissionem de ipso venturo obsignandam. Joh. 1.37. Atque hanc doctrinam Euangelicam, & promissiones Euangelicas Spiritus S. & Remissionis peccatorum in nomine jam exhibiti Christi obsignavit Johannis Baptismus Marc. 1.4.8. Matt: 3. 11. Act. 2. 38. Quod paulo plenius infra confirmandum erit ubi contra Anabaptismum disputabitur.

9. De Christi autem Prædicatione, per quam in diebus carnis munere Prophetico ipse functus est, Quamvis illam fateantur Euangelicam esse: Hypothesis tamen ista, qua Euangelium Nova Legislatione definiunt, Gangrenam istam facit: Ut si non cum **Jac: Outerman** conspirent, de Fine Legis & initio Euangelii demum post mortem Christi: necesse habeant Christum in functione muneris Prophetici facere ἄνομον *Ex legem*: quippe

qui

qui vigente Lege Veteri Mosaïca, illius Canone neglecto, docuerit Novam Religionem & Cultum Spiritualem; cujus Canon Novus demum post Christi Ascensionem in cœlos scripto consignatus est.

10. Atqui non potuit, Christo facto sub Lege Gal. 4. 4. ἄνομος *Ex lex* esse Christi prædicatio & functio Prophetici muneris, sed debuit esse ὑπὸ νόμον *Sub Lege*, ad Legis Scriptæ Canonem adstricta. Quòd confirmat apertius Christi provocatio ad Scripturarum scrutationem, & ad testimonium Mosis in doctrinæ suæ examine: adeo ut nollet ratum aut verum haberi suum quantumvis ἀυτόπιστον de se ipso testimonium, absque Mosis & Prophetarum Veterum testimonio scripto. Confer. Joh. 8. 14. cum Joh. 5. 36. 39. 46. Ac quamvis sibi assereret, ut Legislatori ipsi, Mosis Domino, infallibilem Legis interpretationem, speciatim Legis de Sabbato Matt. 12. Marc. 2, Luc. 6. Tamen se subjiceret severo, citra Personæ suæ acceptionem, judicio, secundum illam quæ legendo disci poterat Legis scriptæ δικαιοσύνην. Joh. 7. 24.

11.

11. Hoc pacto non potuit citra peccati ἀνομίαν (quod absit) ἄνομος Ex lex esse Christi prædicatio: ut scilicet, non secundum communem in Mose & Prophetis revelatum Fidei & Cultus Cànonem, sed *Novo Canone qui tantum in mystico & allegorico sensu in Scripturis V. T. velatus fuerit & absconditus*, docuerit Euangelium suum: Istiusmodi enim Novæ nec antea revelatæ Legis Doctori, severo citra Personæ acceptionem judicio, quin etium patranti Miracula, debebatur capitis supplicium ex Lege Deut: 13. 1.

12. Imprudenter ergo produnt Judæis Apologiam ipsius Christi, & Religionis Christianæ, Anabaptistæ, Sociniani, & quicunque hic cum *initio Novi testamenti* confundunt *initium Euangelii* ejusmodi, quo fundata sit nova, nova religio; quam ex Mose & Prophetis nec didicerit nec docuerit Christus in diebus carnis; sed ex novè cœlesti revelatione Mosi & Prophetis velata & abscondita. Quam, vel patratis miraculis, qui profiteretur, Legi Mosis obnoxius, secundum Legem jam indicatam, obnoxium se faciebat tu-

justę occisioni, ut docens Apostasiam à Mose: Quæ est Judæorum in Christum crucifixum blasphemia: cujus nullus esse potest ἱπτρομισμὸς, Ac plane irritus labor omnis, qui in spem conversionis Judæis incredulis impendetur, Si sine τύπῳ διδαχῆς seu Canone doctrinæ expresso in Scriptura V.T. Veritas Religionis Christianæ, ut nove revelata à Christo, & novum habens Canonem scriptum post Christum mortuum demum constitui cœperum, Ex Miraculis, Ex Resurrectione, & ex prædicta vocatione Gentium, persuadenda est. Vide Disp. nostram de Fœdere VII. Thes. 20. & 21. & XI. Thes. 23-30.

Disputatio VII.

De

Primo Præcepto Decalogi,

1. Progredimur ad Legis Moralis Veteris, quæ Decalogo comprehensa & Mosis ac Prophetarum commentario olim illustrata est, particularius examen: Fueritne illi adstricta fundatio Religionis Christia-

ſtianæ in prædicatione Euangelii de Chriſto exhibito: An vero *Exlex*, ita ut (Veteri Lege interpolata, per variam Additionem cultus Spiritualis olim non revelati, adeoque revera antiquata:) cenſeri debeat Nova facta Legiſlatio. Quod poſterius contra Anabaptiſtas & alios quoſcunque pernegamus: ne faciamus Chriſtum Dominum noſtrum juſtæ occiſioni (ex lege Deuter. 13. 1.) obnoxium.

2. Hic primo loco ſe offert Lex primi præcepti, de non habendo, juxta verum Deum Iſraelis, Deo alio. Hic iſta eſt Theologiæ Anabaptiſticæ Gangræna, qua Anti-Trinitariis Judæis & Pſeudo-Chriſtianis produnt arcem Religionis Chriſtianæ: Etenim cenſent, *Vnicam tantum Perſonam Patris, intellectam & agnitam fuiſſe in Veteri Teſtamento nomine unius veri Dei Iſraëlis*: ut etiam, qui necdum abnegant *myſterium S S. Trinitatis*, velint ſaltem illud *minime revelatum ſed velatum fuiſſe in V. T. Vt, religione primi præcepti illius, Eccleſia Vetus unum Deum Patrem cognoverit & coluerit, ut ſolum Verum Deum.* Quæ ſumma eſt *Confeſſionis Faukelio oppoſitæ Artic. 2. à pag. 43. ad 48.* cui prætexunt hy-

potheſin iſtam: *quod in pluribus Scripturæ locis nomen Deus Patri præcipue & ſoli appropriatum ſit, qui ea propter etiam nominetur ſolus verus Deus Ioh. 17. 3. & Deus Domini noſtri Ieſu Chriſti Eph. 1. 17. Quem & Chriſtus Dei Filius, ut Deum invocavit Matt: 27. 45. & Deum ſuum agnovit Ioh. 20. 17.* quæ loca in Diſputationis actu vindicabuntur.

2. Hinc in cenſu Articulorum Chriſtianæ Fidei & Vitæ, qui ex Veteri Teſtamento ſunt demonſtrabiles, defunguntur hac affirmatione *Eſſe Vnicum Deum, Paterne affectum erga omnes qui ipſum colunt: &c. pag. 37. & 43. &c.* Plenioriautem novæ revelationi in N. T. adſcribunt, iſta, *Tres eſſe in Cœlo qui teſtantur. &c. pag. 46.* Et ex Collatione Theologię Socinianæ, de Adoratione Dei (primo præcepto imperata olim) in Novo Teſtamento aucta Adorationis modo novo, quo per Filium Pater invocatur, adeoque Filius ipſe adoratur & divino honore colitur: cum ſcrupuloſa Anabaptiſtarum diſcretione, inter illa, *quæ de Precatione paſſim præſcribit Scriptura, & quæ ſingulariter Chriſtus Diſcipulos ſuos docuit, de indulta fidelibus invocatione Patris cœleſtis in Filii nomine.*

Ar-

Artic. 19. Confess. Faukelio oppositæ, manifestus est attento lectori Anabaptistarum cum Anti Trinitatriis Socinianis, Christum ψιλὸν ἄνθρωπον merum hominem invocantibus, si non consensus, saltem Syncretismus.

4. Atqui Thesis ista de Adjectione ad legem primi præcepti facta in Novo Testamento, Adorandum scilicet Filium cum Patre Sive nitatur Hypothesi mere Anti Trinitaria de *Nova Filii existentia*; sive altera illa de *Nova cognitione Filii Dei ignoti in V. T.* nondum revelato Trinitatis Mysterio: Perimit præceptum, ejusque Legem solvit, contra Christi protestationem, *Se non venisse solvere Legem, sed implere: Matt. 5. 17.* Quod ut liqueat: observamus aliquo schemate forte dici posse, (quanquam præter mentem Christi,) Legem impleri, per adjectionem aliquam ad Mandatum Legis Affirmativum: Sed nullo schemate id dici posse de Additionibus ad præcepta Negantia. V. G. Præceptum hoc Primum Negans est, in quo sine palpabili contradictione, non potest quidquam adjici, ad illud Adorationis objectum Judæis revelatum: quin Prohibitio illa *Non*

habebis Deum alium evertatur, conversa Universali negatione, in oppositam contradictorie particularem affirmationem: *Habebis, præter illum quem hactenus Patres tui adorarunt, ut solum verum Deum, alium pro vero Deo adorando juxta Patrem.*

5. Nec elabuntur qui dixerint se credere Æternam Filii Dei & ὁμοούσιον Deitatem, sed statuere tantum ignoratam, adeoque non adoratam ante tempora N. T. Quia in Religione Judaïca, si ignorata fuit Personæ Filii Deitas, Vetita quoque fuit ejus juxta Personam Patris Adoratio: juxta illam Christi contra Samaritanos pro Adoratione Judæorum contestationem: *Vos adoratis quod nescitis: Nos adoramus quod scimus. Ioh. 4. 22.* Quod gratis dixerit Christus, nomine Judæorum loquens, Si mox in hora illa quam prænunciat venturam, versu 23. veri Adoratores adoraturi erant Filium Dei, quē hactenus nesciebant: adeoq; quem non revelatum, citra trangressionem primi præcepti, adorare non poterant.

6. Nos contra quoscunque affirmamus Adorationem Dei Patris per Christum promissum ut Dei Filium:

Si

(Si non eadem evidentia, quæ est in libris N. T. Sufficienter tamen,) demonstrari posse ex libris V. T. Ut sciverint Veteres, juxta Personam Patris, non alium Deum, aliam tamen Personam sibi adorandam & colendam. Mandatum sufficienter expressum censemus illud, quod exstat Exo: 23. 20. 21. *Ecce ego mitto Angelum ante te, ad servandum te in hac via, & ad introducendum te in locum illum quem præparavi. Cave tibi à facie ejus & ausculta voci ejus ne exacerbes eum: quia non feret defectionem vestram, quia nomen meum est in eo: seu in medio ejus*: Quod ultimum membrum recte interpretatur *Tremellius: hoc est, Iehova est, ac non creatus Angelus.* Quam veram esse glossam confirmat collatio locorum Gen: 32. 24. 30. & Hos. 12. 4. 5. nec non Malach: 3. 1. & Esai: 63. 7. 10. quo posteriori loco, inter Patrem & Spiritum medius recensetur Angelus faciei Jehovæ, Servator & Vindex populi Israelis ex servitute Ægyptiaca: Ut intelligatur necessario idem unus cum Patre & Spiritu S. Jehova, Legislator in Decalogo loquutus.

7. Accedit expresso Filii nomine

mandatum alterum *Pſalmo 2. verſu 12. Oſculamini Filium, ut non iraſcatur & pereatis in via, ſi exarſerit vel minimum ira ejus. Beati omnes qui ſe recipiunt ad eum.* In utroque loco, & hoc, & Exo. 23. parallela ſunt iſta, Quod ut magnus Deus Servator populi ſui; adverſus hoſtes autem ut Deus fortis & zelotes vindicta armatus repræſentatur, ille Angelus Fœderis, Dei Filius: Cujus olim futuram Miſſionem in mundum ad Officii Mediatorii functionem, in forma ſervi, notabat Angeli nomen, ipſi tributum.

8. Juxta Mandatum habemus Adorationis ex Fide praxin: in lucta Jacobi, qui flevit & *ſupplex oravit eum*, atq; ſic Benedictionē impetravit Hoſ. 12. 4. 5. In Sacrificio oblato ipſi à Manoah Patre Simſonis Jud. 13. 16. 23. Et in Supplicatione iſta Danielis, *Propter Dominum. Dan. 9. 17.* Ad quam ex Fide Adorationem Patris (in & per ac propter Filium mittendum) commendandam, fecit Prædictio illa de illuſtriori olim Adoratione, qua veri Iſraelitæ pleniori gaudio colerent Dominum Deum ipſorum, & Chriſtum verum Davidem Regem Jere: 30. 9. Ezech: 34. 23. 24. & 37. 24. 25.

9.

9. Hic una opera nobis asserenda tertiæ quoque Personæ Spiritus S. Adoratio in Veteri pariter & Novo Testamento frequentata: Quam ex Novo quidem Testamento nihil probat evidentius quam Historia Act. 13. 1. 2. 3. qua narratur Spiritui S. cum imperio interpellanti, in liturgia ordinaria occupatos, Prophetas & Doctores Antiochenos, de mittendis Apostolis delectis, obtemperantes; ac separasse & stitisse ipsi, cum jejunio & precibus, peracta manuum impositione, Apostolos à Spiritu S. mittendos.

10. In V. T. similiter adoratam Spiritus S. Personam, demonstramus, 1. Ex collatione testimonii Esaiæ de irritato ab Israelitis Spiritu S. cum ipsa irritationis historia, quod illi irritationi Precibus & Adoratione sua interceserit Moses: Esai: 63. 10. cum Num. 14. 13. &c. 2. probamus idem ex capite ad Hebræos 9. ubi Apostolus loquens de Templi Veteris κατασκευῇ Spiritum S. nominat ut fabricæ illius causam architectonicam, adeoque Dominum Templi in Templo habitantem. versu 8. 3. Ex Majesta-

te Spiritus S. ſupra Altare ſe exſerente in victimarum ἐμπυρισμῷ, ſeu Baptiſmo ignis: confer. Matt. 3. 11. & Act. 2. cum Matt. 23. 18. 19. 20. quod argumentum illuſtrabimus in Titulo *de Iuramento.*

COROLLARIUM

Anabaptiſtę, per heterodoxas de Carne Chriſti hypotheſes, aut adoptant Paradoxon Swenckfeldii, *Carnem Chriſti non eſſe creaturam*, aut manifeſti ſunt Idololatræ, ipſo *Swenckfeldio* arbitro in *Quæſtionibus de Cognitione Chriſti editis 1561. B. 3. Non poteſt ex Scriptura probari, Creaturam ſeu Creationis divinæ opus ullo pacto adorari debere: Quid enim alias in Scriptura vocatur Idololatria? ſi iſta non eſt idololatria, quando juxta Deum adoratur aut colitur Creatura.* Recte: ex Ro. 1. 26.

DISPVTATIO VIII.

DE

Secundo Præcepto Decalogi.

1. IN Secundo Præcepto Decalogi quamvis nobiſcum conſentiant hactenus Anabaptiſtę, damnatum, non olim tantum in Religione Moſaïca, ſed hodie quoque in Chriſtianiſmo, cultum imaginum Papiſticum: Tamen neque hic ſincera eſt ipſorum Theologia, aut ab ipſo Papiſtico fermento libera: Quandoquidem ipſis Papiſtis impurius ſentiunt de Eſſentia Dei Spirituali & Invisibili adeoque luxant hic nervum interdicti de non pingendis divinæ Eſſentiæ aut S. S. Trinitatis imaginibus; ac deſtituunt præceptum ſecundum, illa hypotheſi propria, quæ urgetur *Deut. 4. 15. Cuſtodite ſolicite animas veſtras. Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem.*

2. Paria hic faciunt Anabaptiſtæ cum *Anthropomorphitis:* quia profitentur, *externa oculorum inſpectione viſibilem fuiſſe, & viſam in carne Chriſti, Deitatis eſſentiam: ſua imagine expreſſam.* Craſſo quoque errore, & magis pudendo, pronunciat Jac: Outerman/ *Deo placuiſ-*

se Iohanni videndam exhibere Essentiam Spiritus S. in forma Columbæ. x. Art. art. 3. §. 80. 81. Quod si verum est, frustra pudendam Gentilium idololatriam proscribit Apostolus; *Quod mutarint gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem, mortalis hominis, & volucrum. Ro. 1. 23.*

3. Quamvis ergo pictas vel sculptas imagines non colant cum Papistis Anabaptistæ, sed nobiscum illis dicam scribant idololatriæ: Tamen prævaricantur hic, assertione ejusmodi, quæ tuendæ Pontificiorum idololatriæ opportuna esset; adeo ut nihil reliquum faciant Pontificii ad mensuram peccati implendam, quam quod isti assertioni non subscribant.

4. Interim præ se ferunt Anabaptistæ, anctum secundum præceptum, de idololatrico cultu imaginum cavendo; severiori lege decavendaChristianis omni communione cũ idololatris: Quod scilicet evincunt ista antithesi, *Templum Iudaicum mansisse olim Domum Dei, quamvis pollutum cultu idololatrico: Nunc contra impossibile esse ut in una Ecclesia unâ habitent Christus & AntiChristus. V. L. Defens. part. 1. pag. 16. 32.*

5.

5. Disputantur ista inter ipsos, sic ut cudatur faba in Ecclesias Reformatas, ipsarumque *à Papatu secessionem*, præsecessione scilicet, quam fecerunt Anabaptistę, minus sinceram & accuratam; quod *Reformatione* tantum instaurandam & purgandam censuerint Ecclesiam idololatricam, non penitus destruendam; qua κακοζηλίᾳ ab ipsis ejuratus *Baptismus infantium* in Ecclesia Romana susceptus, atque prædicata necessitas Novæ per *Anabaptismum* initiationis in Ecclesiam nove ab ipsis fundatam.

6. Enimvero ad præsens institutum, observandum est, Quidquid ad accuratissimam idololatriæ fugam, & vitandos idololatras, dictum est in Novo Testamento, id jam ante dictum esse Ecclesiæ Veteris Testamenti. Evincit hoc aperte collatio exhortationis Apostolicæ 2. Cor. 6. 17. cum oraculo Prophetico Esai, 52. 11.

7. Quod autem ingeritur hic de Templo Judaïco: quod illud, quamvis pollutum cultu idololatrico, manserit domus Dei: Inde non efficitur minus severe aut minus accurate prohibita olim fuga idololatriæ. Sed hinc di-

ſcendum, diſcrimen inter illa quæ per ſe idololatrica ſunt, & vetita, & inter res divina inſtitutione ad uſum neceſſarium per ſe ſanctas, ac ſola abuſione pollutas per accidens & impuratas. Quæ per ſe idololatrica ſunt, ne mundis quidem munda eſſe poſſunt: Quæ vero Dei inſtitutione ad neceſſarios uſus ſanctificata ſunt, quando profanantur & polluuntur ab hominibus immundis, puris tamen pura eſſe poſſunt. Atque hoc pacto Templum quamvis pollutum ab idololatris aliiſve impuris hominibus: propter divinam tamen in Templo inhabitationem permanentem, cui teſtimonium perhibet Chriſtus Matt. 23. 21. Templi frequentatio munda erat mundis, qui conſcientiam ſuam apud Deum liberabant, gemitibus ſuis & luctu, ſuper iis, quæ corrigere ipſi & extra Templum eliminare non poterant.

8. Jam quamvis diſſimilis ſit ratio Templi illius unius divinitus ſanctificati in Veteri Teſtamento; & locorum in quibus congregantur Eccleſiæ Chriſtianæ; quæ non pariter ſanctificantur typica & Cæremoniali Dei inhabitatione: Adeo ut Chriſtianorum con-

congregationes non sint adstrictæ mansioni ulli visibili in hoc vel illo quem sibi legerunt loco; sed libere Templo vel Synagogę cuicunque valedicant, prevalente vel Idololatria vel Doctrina Anti-Christiana: Exemplo Pauli. Act. 19. 8. 9. Non tamen, ita possunt odisse Templorum fabricas congregationi oportunas & commodas; ut illas expurgatas pollutione idololatrici cultus, necessariis usibus vindicare nefas ducant.

9. Atque ex analogia hac, non æque abominari fas est, idquod in impurioribus, idololatricis Ecclesiis, obtruditur simplicioribus adversarium institutioni Christi, adeoque quod per se Anti-Christianum est, & Idololatricum: atque id quod ex vera mandati Christi conscientia ibidem observatur, & urgetur observandum; Hoc enim vinculum, quo adstricta est conscientia mandato Christi cognito, nunquam solvi debet, sed manere debet defæcatum & expurgatum, perejerationem omnis Anti-Christianæ pollutionis.

10. Hoc pacto Ecclesiarum nostrarum Reformatores, ab idolomania

Papistica, & superstitionibus expurgandam censuerunt religionem & liturgiam publicam Prædicationis Verbi & Sacramentorum: sed non pro nulla habendam Nominis Christiani Professionem, Baptismo in nomine Patris Filii & Spiritus S. obsignatam, quod illa esset Christo non autem Anti-Christo præstita obedientia, cujus pœnitere debebat neminem.

21. Sic institutam Reformationem tuentur Ecclesiæ Reformatæ, convictione Ecclesiæ Romanæ de *Apostasia illa* quam prędixit Paulus 2. *Thess.* 2. juxta quam habuerunt Papam pro *Anti Christo sedente in Templo, id est, Ecclesia Dei*; cui sua secessione nuncium miserunt, non autem Dei Templo, seu Ecclesiæ Tyrannide ipsius oppressæ. Hic prævaricantur Anabaptistę in hunc modum *ut insicientur ab Apostolo prædictam illic Apostasiam Ecclesiæ Apostolicæ eventuram, quia scilicet post Apostasiam factam, manere nequeat nomen Templi Dei; ut in Ecclesia Christi sedeat unquam Anti Christus:* quod magna animi contentione disputat *V. L. Defens. part. 1. pag. 18. 19.* qui *pag. 20.* hęc ingerit Problemata *An non Paulus intellexerit Iudæos*

dæorum Apoſtaſiam tempore Neronis: aut Romani imperii occaſum: An non Filium illum perditionis intellexerit Neronem: & pag. 21. *An Templum Dei à Paulo nominatum, non ſit accipiendum pro externo Templo Hieroſolymitano, quod tandem à Romanis vaſtatum eſt.*

12. Ad præſens inſtitutum non facit demonſtratio Anti-Chriſti Romani, ex loco illo Apoſtolico: ſed tantum prævaricationis Anabaptiſticæ detectio; qua, ad majoris ſcilicet zeli ſui in ſeceſſione à Papatu demonſtrationem; *maximi inter ipſos zelotæ cum Papiſtis inficiantur Papam eſſe illum à Paulo prænunciatum, & ſuis characteribus figuratum ac delineatum, Anti-Chriſtum.* Spiritum porro vertiginis notaſſe ſufficiet, ex eo, quod ipſe qui hæc diſputat *V. L.* pag. 12. &. 21. diſputationis ſuæ nervos incidit, pronuncians, *iſta omnia meras eſſe ſuſpiciones & conjecturas:* Ut tamen contra nos militent ſuſpiciones & conjecturæ, hæc ipſi eſt ſumma ſummarum, *Traditione aliqua non ſcripta opus fore, ad prædictionem Apoſtolicam intelligendam, abſque qua de ejus intelligentia certa, fruſtra laboretur: quia qua verſu 5. interjecta ſunt ab Apoſtolo ipſo, obſcuritatem pariunt*

riunt invincibilem nobis, qui quid Theſſalonicenſibus coram dixerit Apoſtolus ignoramus.

13. Enimvero nihil non poſſet hoc pacto obſcurum cenſeri in Scriptura S. atque eo nomine rejici Scripturæ ſcrutatio, & collatio cum experientia: per quam fit ut Prophetię impletæ planius & plenius intelligantur, quam implendę: ut conſentaneum magis ſit; nobis jam vindicare pleniorem intelligentiam, *quam olim Theſſalonicenſibus.*

14. Interim ad Romanæ Eccleſiæ Apoſtaſiam intrepide aſſerendam, facit collatio prædictionis Apoſtolicæ de inſigni illa Apoſtaſia ventura, cum ipſa Apoſtoli prę monitione de Apoſtaſia, ſcripta nominatim ad Eccleſiam Romanam. Rom. 11. 17—24. & quod non ſit ovum ovo ſimilius, quam Romanæ Eccleſiæ Imagines ſunt Idolis gentium: ut aperte contra illam quoque militet cenſura idololatriæ, quę legitur Rom. 1. 23—25.

DISPVTATIO IX.

Ad *Tertium Præceptum Decalogi*, DE Iuramento.

1. Succedit ad Tertium Decalogi præceptum Disquisitio, de Juramento in Religione Christiana, licito, an illicito. Absolute quidem illicitum esse illud Christianis popularis est Anabaptistarum Theologia, qua pervertunt doctrinam partim Veteris partim N. T. libris capitissam. De Veteris quidem Testamenti Religione sic pronunciant: *Ad rei per se bonæ & veræ confirmationem Patribus in V. T. permißum & conceßum fuit jurare per nomen Dei; quo facto tenebatur qui juraverat, jure humano & divino, Juramentum ſuum præſtare Deut. 6. 13. & 10. 20. Confeſſ. oppoſ. Faukelio pag. 391. 392. Item. Deus in V. T. permiſerat ut affirmationem ſuam homines Iuramento confirmarent: cui fini docuit & præcepit ut hoc fieret in nomine ſuo. pag. 294.* Porro se explicant: *Non Iuramentum, ſed rectum Iuramenti uſum, in V. T. converſionis fructum fuiße, quando*

eouſ-

eousque desciviſſent, ut loco Iuramenti per nomen Dei veri, juraſſent per Baal: Alias non fuiſſe opus Spiritus, legitimum Juramentum concipere. pag. 395. 396. 397. Breviter, ubi affirmant orthodoxi, Certo caſu, & neceſſitate id exigente, à Deo Imperatum fuiſſe Juramentum, quo ſancte coli & invocari vellet: Anabaptiſtæ volunt permiſſum tantum & indultum fuiſſe, ac caſtigatum.

2. Aſſertionem Orthodoxam de Juramento in certo caſu imperato, confirmat Lex ſcripta Exod. 22. 10. 11. juxta quam, doctrina V. T. reliqua, de Jurando per nomen Dei veri, non eſt caſtigatio actionis libere uſurpatæ, divina tantum permiſſione ſeu indulto: Sed uberior inſtitutio in Lege, ad obedientiæ imperatæ accurationem ſpiritualem.

4. Atque hinc liquet falſa præpoſtere inter currens Anabaptiſtarum aſſertio iſta, *Iuramentum non fuiſſe opus Spiritus, quia Iuramentum facere poteſt homo carnalis, &, quamvis non guſtarit Spiritum Dei, jurare quod in ſe verum eſt. Confeſſ. pag. 396.* Nititur enim falſa hypotheſi, iſta, Legem fuiſſe carnalem, qua non præceperit Deus nomi-

nis

nis sui à jurante invocationem in spiritu: quod refellit abunde Psalmi 50. versus 16. & 17. & tota Scripturæ Analogia; & Dei natura Spiritualis, Joh. 4. 24. ac expressa Pauli affirmatio, Rom. 7. 14.

4. Ad præceptum autem tertium negans disquiritur, Vetitumne fuerit solum perjurium, quod affirmant Anabaptistæ, qui hanc inde urgent necessariam consequentiam, *In lege Veteri permissum fuisse quodvis juramentum per nomen Dei, modo caveretur perjurium:* Atque hic prætexunt suo errori verba Christi Matt. 5. 33. *Audistis dictum fuisse antiquis: Non peierabis, sed reddes Domino juramenta tua:* Quasi nihil ultra docuerint Moses & Prophetæ, Atque ille esset unicus nominis divini abusus tertio præcepto vetitus.

5. Nos asserimus indefinitam loquutionem, de Non assumendo in vanum Nomine Dei, seu juxta vernaculam, Anabaptistis quasi authenticam, versionem de Non abutendo nomine Dei (**Niet misbruycken**) non potuisse nec debuisse adstringi, ad solum perjurium: Neque id à Christo Mosi aut Prophetis imputari: Non patitur enim

enim in Legem Mosis, censuram aut castigationem illam de non vetito omni abusu divini nominis, Christi protestatio, versibus 17. 18. 19. 20. expressa: sed stringit Christus hic & alibi Scribarum & Pharisæorum etiam Veterum malam fidem, quod Legis nucleum negligerent, quem Christus vocat τὰ βαρύτερα τῦ νόμε. *Ea quæ in lege sunt graviora, seu maximi momenti. Matth. 23. 23.*

6. Jam in secundo præcepto τὸ βαρύτερον seu maximi momenti negotium Spirituale, à Scribis & Pharisæis omissum, hodieque ab Anabaptistis neglectum, (ut scilicet tueantur Novam Legislationem Christi, quæ comminiscuntur) illud fuit: Non esse irreverenter habendum Nomen Dei, aut usurpandum temere, ne quidem extra juramentum, Deum invocanti, vel de Deo loquenti: aut tractanti Verbum Dei: Unde sicut juramenti ita Verbi Dei metus & reverentia, commendatur ut vera in Deum pietas Esai. 66. 2. & Eccles. 5. 2. Quo poste riori loco Antithesis est pii & impii ista: non ut perperam habet Vulgata Latina versio: *Perjurus, & ille qui verum dejerat:* Sed

ut

ut ex Hebræo *Pagninus* vertit: *Qui jurat, & Qui juramentum timet:* Ac bene habet quod, in vernacula verſione, poſterius ſaltem illud ſalvum eſt ad convictionem Anabaptiſtarum, (**die den eed vreeſt**;) quamvis prius ex Vulgato manſerit (**de meyneedige.**) Textus authentici litera emphatice illud dicat, Pios in V. T. religione præcepti ſecundi, juramentum reveritos, non tantum perjurio, ſed juramento ipſo, extra caſum neceſſitatis, quo à Deo imperatum erat, omnino abſtinuiſſe.

7. Videamus jam Doctrinam de Juramento, in N. T. explicatam: ex qua Anabaptiſtæ urgent illud verborum Chriſti *Matt. 23. 37.* τὸ μὴ ὄμοσαι; *Ego vero dico vobis, Ne juretis omnino:* & parallelum locum *Iacobi cap. 5. 12.* De quibus verbis Chriſti & Jacobi, breviter reſpondemus, ex collatione loci *Matt. 23. 16. 23.* manifeſtam eſſe illorum Ἀβλεψίαν, quæ non præſcribit contra Juramentum in Dei nomine reverenter uſurpandum, & à piis in V. T. uſurpatum, ſed tantum contra Judæorum jurantium hypocriſin; qua ſcilcet metuentes Iuramentum per nomen Dei directum

ænum, jurabant *per Templum, per aurum Templi, per Altare, per holocaustum, per cœlum, per terram.*

8. Si hic præscriptum esset contra id quod mandarat Deus in V. T. de jurando per nomen veri Dei: peccavit, quod absit, Paulus non semel in Epistolis suis affirmationem suam muniens juramento: V. G. *Veritatem dico per Christum, non mentior: attestante mihi simul conscientia mea, per Spiritum sanctum. Rom. 9. 1.* item, *Testem Deum invoco in animam meam. 2. Cor. 1. 23. Testis mihi est Deus, cui servio Spiritu. Rom. 1. 9. cum Phil. 1. 8.* Quin docens pium juramenti usum, ad omnis controversiæ terminationem inter homines. Heb. 6. 16.

9. De Pauli exemplo, non habet quod excipiat *Menno* S. quam illud *distinguenda esse negotia temporalia, quæ Carnem & Sanguinem, Pecunias aut possessiones, spectant: & negotium confirmandæ veritatis, ad Dei gloriam, & salutem ac ædificationem proximi*: Hic manus dat: illic autem ἀπορρήτως censet veritum omne juramentum. *Summarii, part. 2. pag. 398.* Mirari licet cur hac distinctione, in populari sua Theologia, abstinean

ant Anabaptiſtæ, proſcribentes *Omnem modum juris jurandi ad confirmationem veritatis*: Maxime cum ipſi *Mennoni* ſcribenti familiares fuerint illæ jurandi formulæ, quibus, ſcilicet Paulum imitatus, ſcripſit: *Deus mihi teſtis eſt, Dominus novit, Ecce in Chriſto ſincera hæc veritas eſt, Coram Deo meo non ſecus mihi conſcius ſum, Hoc ita verum eſſe teſtis mihi erit N. S. una cum Domino omniſcio, cujus manum & punitionem non effugiam, ſi mentior & veritatem non ſcribo, Si jam mihi, hoc inficiari velint, deprehendetur ita eſſe ſicut ipſis ſcripſi, in die juſti illius judicii, coram oculis æternæ & magnæ illius Majeſtatis.* Hypocriſis *M. S.* notanda, qui minime jurat, quod præ ſe fert, ad confirmandam Dei veritatem: ſed ut ipſe verax ſit, mendax autem *I. à Laſco & M. Micron.* adverſarii ipſius, in dictorum & factorum hiſtoria.

10. Sed ad diſcriminis iſtius prætextum, porro reſpondemus, ex loco 1. Tim. 5. 8. Quia Fidem abnegare, & infideli deteriorem eſſe, pronunciat Apoſtolus, qui, vel quæ, domeſticis non providet, Conſequens eſt, recuſari non poſſe ſalva conſcientia juramen-

mentum à Magiſtratu delatum, in caſu ſimili in quo Lege Moſaïca fuit imperatum, in quo niſi præſtetur, pervertitur ſubſtantia ad œconomiam neceſſaria, qua domeſticis providendum eſt.

11. Ad locum Pauli *Heb. 6. 16.* iſta eſt Anabaptiſtarum evaſio, quæ refutanda reſtat; illud *Inter homines*, intelligendum eſſe, *inter illos qui adhuc carnales ſunt: Tantum credentibus diſcipulis Chriſti præceptum eſſe ne jurent; illos ſolos hac lege contineri: quemadmodum id Iacobus quoque confirmat, præcipiens fratribus, at non mundo, Ne jurent omnino. V. L. Defenſ. part. 2. pag. 76.* Ergo ſi Anabaptiſtas audimus non peccant Iurantes illi qui extra ſunt, ſed tantum qui nomen dederunt Eccleſiæ: Similiter pronunciant *de Functione Magiſtratus, & de Bello.* Atqui habet Evaſio iſta characterem doctrinæ dæmoniorum, & hypocriſios ψευδολόγων quem Tradit Apoſtolus 1. Tim. 4. 1. 2. Quod hoc pacto prohibetur Chriſtianis uſus illarum rerum quas Deus creavit bonas, aut quas ſua inſtitutione ſanctificavit, Atque ſic laqueus injicitur conſcientiis contra effatum illud Apoſtolicum

Mun-

Mundis omnia munda esse, Tit. 1. 15.

COROLLARIUM.

AN *Amen Amen sit formula Iuramenti. N.*

DISPVTATIO. X.

AD

Præceptum Decalogi, IV. & V.

1. QUartum præceptum de Sabbato seu Quiete diei septimi, cum Socinianis Anabaptistæ censent penitus à Christo sublatum; ut omnino Cæremoniale, & typicum atque umbratile: Referunt enim ad *Legis Cæremonialis jugum Vetus*, quo *populum suum liberavit Christus (Juxta ferias & Festa anniversaria Iudaica,) etiam feriationem Sabbati externi. Auctores Confess. oppos. Faukelio Artic. IX. pag. 123.* In quam sententiam apertius *V. L. Defen. Part. 2. Pag. 95.* sic pronunciat. *Ne ipse quidem Decalogus expers est earum (umbrarum) Nam diei Sabbati observationem ad umbras pertinere testis est Paulus Coloss. 2. 17.*

2. Ecclesiæ harum quidem regionum Reformatę nullos jure divino Festos dies agnoverunt: unde factum, ut in Catecheseos Heidelbergensis Belgica versione, *Quæstione Catech. 103.* nunquam expressum sit in hunc usque diem, quod est in Latino, *Festis diebus*: sed substitutum, **Op den Sabbat/ dat is op den Rust dagh**. Et fuere circa Reformationis Belgicæ initia, etiam susceptę, quamvis frustra, cogitationes illæ, de abolenda omni Festorum dierum extra diem Dominicum observatione, quod testatur *Synodi Nationalis Dordrechtana anni 1574. Canon 53.*

3. De Sabbato autem seu Quietis die septimo alia atque alia est doctrina libris V.T. expressa: illa Cæremonialis hæc moralis: ista minime, sed hęc, habet τὸ βαρύτερον seu maximi momenti negotium, quod negamus in religione Christiana abolitum: Ad Cæremonialem doctrinam proprie facit, Judaica Sabbati sanctificatio per appropriatos Sabbato ritus, auctioris Sacrificii.

4. Cæremoniali isti doctrinæ, accensemus, sed cum distinctione, *Ju-*

il-

illud *positivum vetus Pedagogicum* de sanctificanda feria septima, ad recordationem quietis seu Sabbati primi, quo Deus quievit, completo opere Creationis sex dierum.

5. Moralis a. Lex quarti præcepti est, quę habe convictionem conscientiæ, de necessaria aliqua vacatione à laboribus quotidianis, in determinato temporis articulo, quo publice colendus est Deus: breviter de Sabbati externi necessaria ex Dei beneplacito determinatione, quia absque illa ἀδύνατον esset, tueri sartam tectam Ecclesiæ ἐπισυναγωγὴν seu aggregationem publicam: cum ipsa natura dictet, diffluere cœtus omnes, qui non habent stata tempora congregationis.

6. Substantia ergo seu nucleus Quarti præcepti, permanens etiam in Religione Christiana, est Ascetica externi Sabbati, unoquoque, post sex operarios dies, septimo die, Quies & Sanctificatio, ad cultum Ecclesiæ in unum congregatæ publicum.

7. Asceticam quietem & Sanctificationem diei Sabbati dicimus: quia Exercitationem illam Sabbati externi intelligimus necessariam esse etiam

Christianis, non minus quam olim Judæis, ut præparationem ad Spiritualis & sempiterni Sabbati in hac vita exordium. Atque hunc existimamus verum commentarium esse in *Responsionem Catecheticam 103.* Minime a. admittimus hic Anabaptisticas & Enthusiasticas hypotheses, per quas Allegoria tantum Quarti præcepti Veteris Christianis reliqua sit: scilicet absque ullo Sabbato externo, Sabbatum tantùm illud Spirituale; quod Responsionis dictæ tmemate posteriori expressum est.

8. Quamvis ergo etiam libertati Christianæ acceptam feramus permutationem illam, qua sicut Circumcisioni Baptismus, sic Sabbato feriæ septimę Sabbatum feriæ primæ in septimana successit. Tamen censemus etiam Christianæ libertatis legem Quarto Decalogi præcepto expressam manere. Ac, (salvo aliorum judicio, qui imprudentes nimium hic Anabaptistis largiuntur) existimamus sic se habere τὸ ἐντὸς Quarti præcepti, ut etiam computo Judaïco ferię septimæ abrogato, non pereat jota aut apex verborum aut sensus literalis; Ut quamvis

olim

olim Judaïcum Sabbatum Judęis præ-
ſcriptum fuerit iſthoc præcepto quar-
to: de verborum tamen litera nihil de-
cedat quantiſper poſt ſex dies operari-
os in Eccleſia dies aliquis ſeptimus
numeratur.

9. De cætero: neque per ἐθελοθρησκείαν ſeu proprio motu Eccleſiæ Chriſtianæ, ſed Auctoritate Apoſtolica divina, factum credimus, quod Sabbato Judaïco ſucceſſerit Sabbatum Chriſtianum: Habemus enim in Scriptura expreſſum exemplum & mandatum Apoſtolicum. Act. 20. 7. & 1. Cor. 16. 1. 2. Ut parum aut nihil referat, *an immediate à Domino, an mediate per Eccleſiam inſtitutus credatur Dies Dominicus nominatus Apoc. 1. 10.* Quandoquidem non intelligitur hic Eccleſia deſtituta Apoſtolis, in quibus per Spiritum S. loquutus eſt Chriſtus Dominus. 1. Cor. 7. 40. 2. Cor. 13. 3. & 1. Cor. 14. 37. Apoſtolicam autem Auctoritatem ab Auctoritate Divina ſejungere, & infra illam depreciare, eſt Pontificiis prodere Scripturæ ſacrę Auctoritatem uniformiter divinam. *Vide Diſput. noſtram III. De Canone Theologiæ.*

10. Ad præſens inſtitutum, aſſeri-

mus contra Anabaptiſtas, Non eſſe ſublatum à Chriſto aut Apoſtolis ejus *Sabbatum externum* Quarto præcepto imperatum, neque doctrina, neque exemplo. Quia ne quidem Judaïcum Sabbatum vellicavit Chriſtus in diebus carnis ſuæ, ſed hic quoque ſe exhibuit πληρωτὴν τῦ νόμυ, qui venerat Legem implere: Adeo ut poſtulatus à Judæis de Sabbato violato, provocarit ad ſeverum ſine perſonæ ſuæ acceptione judicium. Joh. 7. 24. Et quamvis merito ſe aſſereret Dominum Sabbati, id eſt, Legiſlatorem ipſum, atque hoc nomine Legis interpretem αὐτόπιςον, tamen judicari vellet, ſecundum illam quæ ex ipſo Moſe diſci poterat Legis ſcriptæ λέξιν, ſeu ſenſum literalem, Matt. 12. 6. & 8. Marc. 2. 28. Luc. 6. 5. &c.

11. Et de futuro in poſterum Sabbato externo, loquitur Chriſtus ad conſcientias, cum inquit *Orate ne fuga veſtra ſint in Sabbato. Matt. 25. 20.* Gratis enim hoc dixerit Chriſtus, ſi nulla foret cura Sabbati externi: vel ſi religionem Sabbati Judaici ita voluiſſet abolitam, ut nullum illi ſuccederet Sabbatum Chriſtianum.

12.

12. Ad mandatum autem Apostolicum de Sabbato Christiano diei Dominicæ, quod 1. Cor. 16. 1. 2. expressum indicavimus *Thesi* 9. porro observandum, non fuisse illud particulari tantum Corinthiorum Ecclesiæ datum, ad particularem illius eutaxiam, sed Ecclesiæ Catholicæ universæ; quia & aperte locus ipse hæc habet: *Sicut præcepi Ecclesiis Galatiæ sic & vos facite:* & ipsa prioris Epistolæ ad Corinthios inscriptio dicata est *Omnibus invocantibus nomen Domini Iesu Christi, in omni loco*, 1. Cor. 1. 2.

Ad Præceptum Decalogi V.

1. Ad Præcepti V. Ἀρχαίαν referimus omnem ordinationem divinam, qua homo homini subjicitur in Regimine Oeconomico, Ecclesiastico & Politico. Luxant hic Anabaptistæ 1. nervos regiminis Oeconomici, ad Christianissimi detrimentum: quandoquidem in liberorum educatione, nolunt fas esse Christianis parentibus, severitate eadem qua sibi subjiciunt liberos, eosdem subjicere jugo Christi à teneris unguiculis; aut pædagogos

illis dare, qui hoc agant, ut cum lacte quasi imbibant pietatem & adorationem; Ac supervacaneum censent *ut clara voce recitatis precibus domui suæ præeat Paterfamilias*: Scilicet nullum agnoscunt in prima adolescentia Spiritum fidei aut precum, in fidelium liberis, qui domesticis exercitiis excitari aut foveri queat: Nec patiuntur hoc confirmari ex Psal. 8. 3. cum Matt. 21. 15. 16. *Confess. opposs. Faukel. p. 375. 378.*

2. Nos ex analogia loci 1. Cor. 24. 34. 35. si uxorum, multo magis liberorum, causa, patribus familias mandatam credimus domesticam Catecheſin: Atque hic etiam liberos respectu parentum obligare exhortationem Apostoli universalem, quæ extat Hebr: 13. 17. *Parete ductoribus vestris, & obsecundate, excubant enim ipsi pro animabus vestris tanquam rationem reddituri: &c.*

3. 2. Nervos quoque regiminis Ecclesiastici luxant non uno modo: indirecte quidem, quando impugnant, *Publicam in Ecclesia precum recitationem, quæ elata voce fit à Verbi ministro.* Hoc enim contradictionis Spiritu, auferunt ex Ecclesia subjectionem illam quam præscribit Apostolus 1. Cor. cap. 14. vers.

14.15.16. jubens ut in Ecclesiæ congregatione, qui ex officio Prophetam agit, sic preces concipiat, ut ab idiota audiri & intelligi queat, atque cum intellectu elicere ex idiota τὸ Amen.

(Reliqua de Regimine Ecclesiastico persequemur ubi de Excommunicatione erit disputandum. Quæ Politicum regimen Magistratus spectant, connexa sunt, cum iis quæ ad Præceptum VI. dicenda habemus,)

Disputatio XI.

Ad

Præceptum Decalogi, V. & VI.

De

Magistratu Politico.

1. DE Magistratus Politici functione Gangræna Anabaptistica, tangit & V. & VI. Decalogi præceptum: Ad quintum præceptum spectat quod debitam Magistratui politico subjectionem & obedientiam luxant: sua isthac hypothesi, *Christum finem imposuisse, & à populo suo abstulisse, etiam Officium Regium, eiq; an-*

nexa, Regnum temporale, gladium, vindictam & Bellum. Confess. opposita Faukelio. pag. 123. 408. 409. atque hic obtendunt loca. Esai. 2. 4. Mich. 4. 3. Zach. 9. 10. cum Ioh. 18. 36. Hinc illum conscientiis laqueum injiciunt, *nefas esse Magistratibus, servire in bello gerendo aut alias, quia veris discipulis & veris ovibus, duce inermi agno, quotquot se dederunt ad serviendum Christo Iesu pacifico Salomoni, non est retrospiciendum ad serviendum alteri Domino. Iac Ianss. ad argum. 8. Petri Cornelii de Magistratu.* Ut nil præter verba dent, quando in dicta *Confess. pag. 427.* profitentur, *Magistratibus officio fungentibus obedientiam deberi, ut Dei ministris etiam propter Dominum, ut ordinationi divinæ.*

2. Subest enim persuasio illa qua falluntur, & fallunt, quam *Disput. IX. de Iuramento Thesi 11.* attigimus: *Magistratus officium in se, ut pote à Deo institutum & ordinatum, non habere peccatum aut iniquitatem. attamen non esse à Deo permissam Christianis, sedum mandatam, ejus functionem.*

3. Non repetemus hic, quam illic dedimus responsionem. Hoc porro adjicimus, nullum relinqui ab Anabaptistis Magistratui Christiano quod

nos

nos afferimus, Jus Majestatis circa sacra; quo Leges Christi cumulet suis legibus & mandatis, ad tuendam Ecclesiæ pacem & tranquillitatem, & compescendos turbatores intus, vel arcendos foris hostes & oppressores.

4. Hypothesis ergo supradicta pressius examinanda: quam illi explicant initio isthac assertione de Republica Mosaïca, *Ante adventum Christi tempore Veteris Testamenti, unicum tantum institutum fuisse regimen, ac non nisi unicam punitionem: videlicet à Magistratu exercendam secundum scriptam Legem à Mose traditam: qua luendum erat vel in bonis, vel in corpore; ac sustinenda aut Mors, aut carcer, aut mulcta pecuniaria: quæ omnia Politici erant non Ecclesiastici judicii.* Sic pronunciant in libello, de Censur. Eccles: edito. 1592. cui titulus est, *Declaratio divinæ Scripturæ, quomodo se gerere debeat Ecclesia Christi &c. cap.* 2. Inficiantur itaque omne Ecclsiasticum spirituale regimen Ecclesiæ Veteris Testamenti, à regimine terreno independens, in directione Ecclesiæ ad cœlestem beatitudinem.

5. In Ecclesiis Reformatis creditur ex verbo Dei, Fuisse à Deo jam o-

lim in V. T. institutum duplex Regimen, duplici Officio gubernationis, quâ Politicæ, quâ Ecclesiasticę, distinctum: Ut quantumvis nonnunquam Officium utrumque sustineret Persona una, vel partim vel in solidum: Tamen distinctâ ac geminâ ad id vocatione divinâ opus fuerit: absq; qua non magis Regi fas erat invadere Propheticum aut Sacerdotale munus, quam Prophetæ aut Sacerdoti Regnum.

6. Ut nihil hic juvent Anabaptistas singularia exempla, *Melchisedeci, Eli, Samuelis, aliorumque qui fuerint & Sacerdotes & Iudices seu Reges*: non magis *Davidis qui idem Rex & Propheta, & Salomonis qui etiam Rex & Ecclesiastes.* Neutiquam enim inde efficitur justa, (per nudam vocationem ad Regnum) muneris Prophetici vel Sacerdotii usurpatio: aut vice, versa: vel jus hæreditarium, ad munus Propheticum, quo post Salomonem hæredes regni Reges Juda fuerint Prophetæ & Doctores Ecclesię.

7. De *Mose* quod ingerunt; quod ipse etiam *fuerit ipsius Religionis Legislator*, alienum est; Fuit enim illud personale Mosis privilegium, faciens per

se non ad terreni Regii muneris (quod sustinebat in populo Israelis) axioma, à quo Rex dictus Deut. 33. 5. sed ad alterum munus Propheticum, in quo extra ordinem gessit, ut Propheta eminens, typum magni eminentissimi Prophetę Christi. Deut. 18. & Act. 3. Ad Sacerdotium autem (quod non Mosi, sed Aaroni mandatum fuit & filiis ipsius:) spectabat spiritualis ordinaria directio & gubernatio populi in Religione & cultu instituto; Neque minus immediate Deo soli obnoxia erat Aaronis suo munere Sacerdotali fungentis opera; quam Mosis opera in functione muneris Regii ordinaria: Quantumvis per Mosem ut Prophetam extraordinarium, facta sit Aaronis in Sacerdotem inauguratio, & ipsius Sacerdotii Legislatio.

8. Nec obstat illud, (quod hic occinunt vulgo indocte,) ad Mosem de Aarone dictum Ex. 4. 15. 16. *ipse tibi os erit, & tu ipsi Deus eris.* & cap. 7. 1. *Ecce ego te Deum constitui Pharaoni: & Aaron frater tuus, erit Propheta tuus.* Non loquitur isthic Deus de Ptophetico munere cui tandem inungeretur Aaron: neque fundat jus tale Majestatis Regiæ, ut

ſuo munere fungens & loquens Prophetæ aut Sacerdos Dei, loquatur ut os Regis, qui ipſi ſit vice-Deus. Quid ergo? Res ipſa loquitur, ſermonē eſſe de Moſis (à Deo deſignati Regis Iſraeliticę, quā Deus moliebatur, Reipublicę,) Regia ad Regē Pharaonē Legatione, in qua ipſi ut legatus à latere adjungitur Aaron, mandato Moſis loquuturus quę Moſes Dei nomine habebat dicenda. Itaque ſi quid juris perpetui hinc foret arceſſendum; haberemus Legem tantum hanc, (quæ nihil ad muneris Prophetici aut Sacerdotii functionem faceret: ſed Regiis Legationibus præſcriberet) fuiſſe videlicet adhibendos ſemper Prophetas aut Sacerdotes, per quorum os Reges Regibus loquerentur.

9. De jure autem divino liquet; diſtinctas fuiſſe in V. T. vocationes & functiones gubernationis Reipublicę ſeu regni terreni, & Eccleſiæ Judaicę: ut Regiæ Majeſtati, in Republica ſeu civitate Iſraelitica, ſubjicerentur, ac Regi ſeu Judici obedientiam politicam deberent etiam Prophetæ & Sacerdotes: Sacerdotali autem gubernationi & Cenſuræ ſeu diſciplinæ, omnes

etiam

etiam Reges & Judices ſubeſſent in ſpiritualibus. Liquet inquam illa de jure divino diſtinctio, ex concertatione illa, qua Regi Uſiæ ut alieni muneris uſurpatori ſancto zelo ſe oppoſuit, octuaginta Sacerdotibus comitatus, Azarias Sacerdos ſummus 2. Chron. 26. adfuitque ipſi Deus vindicans peccatum τῆς ἀλλοτριεπισκοπῆς in Rege, per lepram immiſſam.

10. Quo exemplo munita eſt illa quæ 2. Chron 19. 11. expreſſa eſt diſtinctio præfecturæ geminæ: quarum altera ſuum habet caput in negotiis Regis; altera ſuum caput in negotiis Dei, id eſt ſpiritualibus; in quibus Deo vel invitis Regibus ſerviendum erat, ac audiendus Sacerdos officium faciens ſecundum Legem Dei: Quam diſtinctionem quoque confirmat teſtimonium Apoſtoli Heb. 7. 14. qui docet nihil ad tribum Regiam Judæ Deum loquutum de Sacerdotio: ſed vocationem ad Sacerdotium peculium fuiſſe tribus Leviticæ.

11. Anabaptiſtæ contra ingerunt loca. Deut. 17. 8. 9. & 19. ſed fruſtra ſunt: Non enim nos imus inficias fuiſſe Summum illud Synedrium in quo

uterque & Sacerdos & Judex audiendus erat in Republica Israelis. Non obstante enim Societate ista Judicis, & Judicii, Politici & Ecclesiastici, (quam sæpe flagitabant negotia mixti fori, in quibus comitari debebat censuram Ecclesiasticam, punitio corporalis Lege Dei imperata:) manebat distinctio vocationis & gubernationis ac correctionis Ecclesiasticæ spiritualis, à Politica temporali jurisdictione, & Regno terreno.

12. Ad hypothesin jam supra Thesi 1. indicatam respondemus: Ab impiis quidem Judæis Sceptrum auferri jam cœptum, tandem omnino ablatum in Urbis & Templi excidio, propter impietatis mensuram cum contemptu Euangelii impletam: Cum demonstratione efficaci per primorum sæculorum experientiam, absque regni terreni brachio sæculari consistere posse regnum Christi, quod non est de hoc mundo: At minime inde consequi, Christum in adventu suo per prædicationem Euangelii, sustulisse jus Regni aut Leges civiles Mosaïcas, tanquam minime convenientes pietati & religioni Christianæ, adeoque Chri-

sti-

stianis impuras. Quamvis necessariâ consequentiâ, illæ Leges civiles quæ attingebant electionem terræ Canaan ejectis extra Cananæam Judæis, & in aliis extra eandem nationibus, factæ sint inutiles.

Reliqua persequemur Disputatione proxima, de Jure gladii.

Disputatio XII.

Ad

Præceptum Decalogi VI.

De

Jure Gladii.

1. Hoc effecimus antecedenti disputatione ut nulla sit Anabaptistarum hypothesis; Qua, ut Magistratum Politicum extra Christianismum eliminent, Politiam Civilem cum Ecclesiastica miscent & confundunt in Veteri Testamento. Enimverò quod in Magistratus, Politici functione abominantur ut Christianis indignum, est *Ius Gladii*, ad quod præsens instituetur disquisitio. Nos illud Magistratui etiam Christiano asseri-

mus,

mus, ut non neceſſe habeat Chriſtum induens, regno terreno & jure gladii ſe exuere. Ac initio cenſemus non ſine impietate rejici ab Anabaptiſtis in hac ut in aliis controverſiis auctoritatem Veteris Teſtamenti, in quo Deus Magiſtratum populi ſui gladio armavit, & pii ac fideles etiam bella geſſerunt: ac Spiritus S. inſtinctu hoc nomine Deum laudarunt, quod manus ad prælia inſtitueret; brachia confirmaret, corda animaret, heroas, & in illis heroïcos motus ad bellum gerendũ, excitaret, ac quibus vellet victoriã largiretur. Deut. 32. Pſ. 18. & 144. &c.

2. Quamvis enim argiatur *ex loco Eſai. 2. 4. Mich. 4. 3. Zach. 9. 10. nec non. Ioh. 18. 36.* Non, ſicut olim Duce Joſua Bella geſta ſunt, ad fundationem Reipublicę Judaïcæ in terra Canaan, gladio aut bello voluiſſe Jeſum Chriſtum fundare in his terris regnum ſuum, ſed armis tantum ſpiritualibus: ac ſublatas per Chriſtũ inimicitias illas, quibus tanquam parietis intergerini ſepto, arcebantur à communi cum Judæis ſalute Gentes aliæ; Hoc tamen non ferit Magiſtratus Chriſtianos, ſi gladio plectant graſſatores, latro-

trones, raptores, atque tueantur ſubditorum facultates, corpora, honeſtatem, victum, tranquillitatem, adverſus eos qui iſta conantur perdere; quin armati obviam eant Eccleſiæ Chriſtianæ hoſtibus & oppreſſoribus. Expreſſit hic vis veritatis *Mennoni S.* hanc *ad Magiſtratus* alloquutionem, qua ut à ſuorum cervicibus gladium averteret, monuit in quos eſſet convertendus: *Mementote vos ad hoc vocatos eſſe ut puniatis malos, nempe, fures & latrones, ſcortatores & adulteros, magos, Sodomitas ſtuprat ores feminarum, homicidas, violentos graſſatores & raptores: ut exaucioretis cæcos & falſos Doctores.. Et mox; Ad hoc vocati eſtis, ſicut per univerſa Scriptura teſtimonium confirmatur. Ex 18. 23 2. Par. 19. Ro. 13. 1. Pet. 2. Hujuſcemodi Principes fuere Ezechias, Ioſias, David, Ioſaphat, Zorobabel aliique plures. Monno S. libro Fundamenti, edit. 1539. fol. 99. verſo, & 100.*

3, Ad currentem hodie Anabaptiſtarum inermium Theologiam refutandam ex Novo Teſtamento, ſufficiunt à *M. S.* indicata duo illa loca, *Ro. 13. 13. 14. & 1. Pet. 2. 13. 14.* Quorum priori Apoſtolus non tantum de Facto ſed de Jure loquens aſſerit Magiſtratum,

tum, (ut divina ordinatione ministrum Dei, ultorem ad iram ei qui quod malum est fecerit,) gladium gerere non εἰκῇ, non temere: h. e. non sine vocationis divinæ præsidio, in quem sensum hanc particulam illustrat locus Col. 2. 18. ubi dicitur εἰκῇ turgere carnis suæ sensu, qui se ingerit in ea quæ Deus non revelavit. In posteriori autem loco Petrus urget Christianorum subjectionem propter Dominum, sub Regibus & præsidibus, qui officio funguntur ad ultionem maleficorum, & ad laudem recte agentium.

4. Accedunt argumenta ex N. T. sequentia, quæ Magistratui confirmant jus gladii, citra Christianæ fidei aut salutis jacturam: I. Quia Johannes Baptista, cum illum interrogarent & milites, qui ad Baptismum resipiscentiæ accedebant; quid faciemus & Nos? non præscripsit contra Sacramentum militare; quod factum oportebat, si Christianos debuisset ejus pœnitere; sed respondit, Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti estote stipendiis vestris. Luc. 3. 14. Neque hic aliud reliquum est Anabaptistis effugium,

quam

quam quod negent Iohannem fuisse ministrum Novi Testamenti: ac Doctrinam & institutionem Johannis non fuisse Euangelicam sed Legalem: ita ut Ecclesiæ Novi Testamenti non liceat pariter stare responsis Iohannis quæ dedit à se baptisandis, atque mandatis Christi quæ ipse docuit suo Baptismo initiatos: Quod πρῶτον ψεῦδος refellitur hac ex Scripturis demonstratione: Quod à matris utero Iohannes divinitus segregatus, ut Euangelii de Christo exhibito minister, ministerio suo fungens prædicavit, adesse jam natum ex muliere promissum Messiam, ad tollendum peccata sui corporis sacrificio, ut verum agnum Dei olim adumbratum typo Agni aliarumque victimarum mactatarum ad promissionem de ipso venturo obsignandam. Ioh. 1. 37. Atque hoc Euangelium obsignabat Baptismo suo Iohannes: ut suo loco in sequentibus confirmabitur: Disp. *de Anabaptismo*. Est a falsa hypothesis quę hic intercurrit altera; quod ex Euangelio Novam Legem faciunt quam confutavimus supra Disp. XXIII.

5. 11. Quia Christus ipse & Apo-

stoli

ſtoli Milites habuerunt in cenſu Fidelium & Piorum qui Deo placuerunt, non exauctorati à militia: ut liquet Matth. 8. & Act. 10. III. Quia non veritus eſt Paulus, implorare adverſus Iudæorum contra ſe conſpirationem, Romanorum militum ſalvum conductum Act. 21. 23. 24. 25.

6. Sarta ergo tecta eſt harmonia Veteris & N. T. pro iure gladii, quod Deus Magiſtratui conceſſit ad ultionem; à quo non poteſt excludi belligeratio ad pacis & tranquillitatis publicæ adverſus hoſtes defenſionem. Quēadmodum uno ore à Prophetis pariter & ab Apoſtolis, prohibita fuit, temeraria privata vindicta & vindictę cupiditas; ut liquet collatione locorum V. T. Deut. 32. 35. & Prov. 24. 22. & 25. 21. 22. cum Ro. 12. 17. & Levit. 19. 18. cum Luc. 10. 29. 37. Et evincit illud quoque quod etiam in Vindictæ publicæ exercitio, Deus noluerit Magiſtratum indulgere privato odii aut dedignationis affectui, aut φιλαν θρωπίαν exuere. Deut. 25. 2. 3. Atque juſſerit ipſa punitione malorum, conſulere aliorum emendationi, & bonorum tranquillitati: Deuter. 21. 21. &

17.

17. 13. 14. & 13. 11. quod ipſum eſt Charitatis officium, erga plures.

7. Impia ergo contra harmoniam V. & N. T. Anabaptiſtarum iſta eſt tergiverſatio, quando in *Confeſſ. oppoſita Faukelio pag. 459. 460.* Rogati *an Chriſtianus in functione Magiſtratus manens ſalvari poſſit*, prætextu verborum Pauli. 1. Cor. 5. 13. *De iis qui extra ſunt Deus judicat*; reſpontionem Categoricam detrectant.

8. Nec vacat impietate hypocriſis illa qua iſthoc Antidoto quaſi caſtigant Pſalmos Davidis *θεοπνεύστους*, canendos in ſuis Synagogis (ubi ſervant idem nobiſcum Pſalterium Rhythmicum: in ipſorum uſus Hornæ 1618. excuſum:) *Reſtum uſum, & Chriſtianam intelligentiam Pſalmorum Davidis, qui de Hoſtibus corporalibus, aut bello aut vindicta, loquuntur, contineri hac inſtitutione: Res iſtas tales eſſe, ut ſi ſecundum literam intelligantur & accipiantur; omnino repugnent & contraveniant Regni Spiritualis Chriſti affectionibus quod Pacificum eſt, ac Charitate & Patientia gaudet: Atque ea de cauſa dicta illa quæ de bello & vindicta loquuntur non eſſe adoptanda in ſenſu literali, ſed neceſſario adhibendam anagogen &*

in-

interpretationem ſpiritualem. Quia, ſcilicet, *juxta locum Eph. 6. 12. Spirituales hoſtes Regni Chriſti minime ſunt corporales homines.* Eſt hoc ipſorum effatum & contra experientiam, & præter Apoſtoli mentem, qui noluit abſolutè negare nobis luctam eſſe cum carne & ſanguine, ſed hoc voluit, non cum ſola carne & ſanguine.

9. Pſalmi illi, quos ſua iſta cenſura perperam notant, flagitant etiam à Chriſtianis meditationem in timore & tremore judiciorum Dei contra deſperatos Eccleſiæ & piorum hoſtes, quæ illis, non privato affectu abreptus, ſed Spiritu Prophetico actus, denunciat David. Neque à Chriſtianis iſtam judiciorum Dei meditationem & exſpectationem ex fide alienam eſſe perſuadent loca. 1. Ioh. 3. 12, 13. 2. Theſſ. 1. 5. 6. atque alia parallela. Ac privatum affectum carnalis odii Davidem procul habuiſſe, liquet Pſal. 35. 12. 13. 14. Eſſe autem ex zelo Dei & Chriſti nonnunquam etiam pio & ſancto hoſtium Dei odio (illi quod David profitebatur Pſal. 139. 21. 22.) locum, docet Chriſtus ipſe. Luc. 14. 26.

10. Pro Epilogo notamus Anabapti-

ptiſtarum hypocriſin in impugnanda omni ſine diſcrimine vindicta, & contra malum reſiſtentia; prætextu mandati Chriſti Matth. 5. in praxi illa, pro qua diſputant. *Confeſſ. oppoſ. Faukelio p. 492. quod ipſorum multi contra fures & latrones domos & fundos ſuos muniunt Canis mordacis excubiis: qui. ſc. ſi momorderit aut leſerit, Dominus Canus non reſiſtit malo.* Contra analogiam legis de Bove cornupeta, qui ſi noxam feciſſet, vindicabatur vel morte Domini negligentia: Exo. 21. 28. 29.

Disputatio XIII.

Ad

Præceptum Decalogi VII.

De

Matrimonio & Divortio.

1. NOn una ſe offert ad Præceptum VII. controverſia Anabaptiſtica circa Matrimonium, de doctrina Scripturæ, quâ Veteris quâ N. T. In doctrina V. T. imputant Legis Moralis imperfectioni, *Divortium & Repudium nec non Polygam jam*

Patribus frequentatam. *V. L. Defens. part. 2. pag. 70. 74.* quam scilicet Veteris Moralis Legis imperfectionem, Nova accuratiori Legislatione sustulerit Christus Novus Legislator. Quod nos inconsequens esse asserimus, ex eo, (quod idem V. L. ibidem pro demonstratione habet) *Quod à Christo restitutus sit accurate Matrimonii ordo, super prima institutionis Fundamentum.* Quomodocunque enim de Veterum Polygamia (de Repudio & Divortio res plana est) libuerit sentire: sive, fuisse annumerandam peccatis Tolerantiæ, seu corruptis moribus populi durę cervicis, in quibus Deus sua longanimitate ἀνεπιφίρητον ἀυτὸς, Act. 13. 18. cum Matth. 19. 8. quod nos malumus: sive indultam fuisse divina quadã dispensatione, qua libera fuerit à peccato saltem fidelium Patrum conscientia, sicut fuisset à peccato contra VI. præceptum Abrahami conscientia immolato filio. Nihil Legis Moralis (quę non ex incidente aliqua Dispensatione, sed ex prima Matrimonii institutione æstimanda est) Perfectioni, in V. T. decedit neque accedit per accuratam antiquissimi juris διορθωσιν in

N.

N. T. Maxime cum non ita dormierit Lex illa antiquissimi juris, ut non per illam pulsarint conscientias Moses & Prophetæ. Deut. 17. 17. & Mal. 2. 13. 14. 15.

2. De cętero adulterant Anabaptistæ doctrinam N. T. per hoc πρῶτον ψεῦδος. Quod statuit *V. L. Defens. Part. 2, pag. 72. Christi mandata ad neminem alium spectare, quam ad Regenitos, & veros Dei Filios: &c. quorum Conjugium est in Domino.* Ex qua hypothesi per necessariam consequentiam, secundum analogiam hæresios Anabaptisticæ, sicut non est extra Ecclesiam Christianam in mundo peccatum situm in Juramento, & functione Magistratus &c. sic neque ut peccatum extra Ecclesiam damnanda aut vindicanda Polygamia, Divortia & Repudia temeraria, quę vindicata olim non fuerunt Lege forensi Mosaica.

3. Nos credimus universim de omnibus & speciatim de VII. Mādato, omnem Legis Moralis ἀληθειαν à Christo & Apostolis inculcatam ad castitatem animæ & corporis, etiam irregenitos & profanos quosvis tangere: adeo ut, si non adducantur ad peccati

agnitionem, judicandi sint gravius hoc nomine, quod lucem Euangelii ipsos arguentem de peccato oderint. Ro. 2, 16. Ioh. 3. 19. Quamvis enim hoc interfit in conscientiæ de peccato convictione, inter regenitos & irregenitos, ut regenitos solos stringant illæ Apostoli, contra fornicationes & pollutiones vetitas, contestationes de non violando Spiritus S. Templo, nec mancipandis scorto membris Christi. 1. Cor. 6. 15. 20. cum 2. Cor. 5. 14. 15. Tamen una lege idem castitatis officium Deus exigit ab omnibus,

4. Quam autem Christus tradidit διάνοιαν VII. Præcepti, de ea perperam sic pronunciavit *V. L. Defens. part. 2. pag. 73. Quando Moses vetat committere adulterium: Adjicit Christus non esse aspiciendam mulierem, vel alterius uxorem ad concupiscendum: ac affirmat, (quod nusquam affirmavit Moses:) impuram illam concupiscentiam esse Adulterium corde perpetratum:* Nam contra liquet, non ignorasse Veteres illam Legis διάνοιαν de oculorum etiam & cordis Adulterio vetito. Prov. 4. 25. & 6. 21. Iob. 31. 1.

5. Est porro hæc Gangræna erro-

ris

ris quem Theſi 2. indicavimus, de Matrimonii religione ex Chriſti nova Lege penes ſolos regenitos, quorum Conjugium eſt in Domino. Quod inducunt, (ex Anabaptiſtis illi, qui ſunt Sectæ Flandricæ dictæ,) per rigorem Excommunicationis, etiam Divortia contra primam Matrimonii inſtitutionem. Sic enim fere ἀνυπλίξει pronunciant, *Confeſſ. oppoſ. Faukelio pag. 354. & 362. Non quidem frangi nec tolli per Excommunicationem naturale aut legale vinculum Matrimonii: Attamen Leges quibus tenentur conjugati in matrimonio adſtricti per vinculum illud ad conjugalem corporis communionem, hactenus ceſſare: ut Maritus fidelis ab uxore, & uxor fidelis à Marito Apoſtata debeant ac teneantur ſe abſtinere: donec Conjux Apoſtata ſe convertat ad Preces, quibus à Deo & Eccleſia impetret peccatorum remiſſionem, & ſcandali dati abolitionem.*

6. Gangrænæ illius Antidotum eſt in verbis Apoſtoli Ro. 7. 2. 3. quibus uxorem non liberat à Lege Mariti antequam mortuus ſit maritus, ut fruſtra Anabaptiſtæ, non ſoluto matrimonii vinculo, ſolvant matrimonii Legem. Quid quod Apoſtolus de Conjuga-

jugalis Debiti Lege exserte determinat contrarium. 1. Cor. 7. 3. 4. 5. negans Uxorem habere hic corpus suum in propria potestate, sed esse illud in potestate mariti, & similiter maritum non habere in potestate sua proprium corpus, sed uxorem: ut ne quidem ad tempus alter alterum fraudare queat absque consensu mutuo.

7. Profane ergo Anabaptistæ, Debitum conjugale accensent *liberis mundi negotiis & commercio*, in quibus nemo alteri est nexu aliquo obnoxius: Eximunt autem è censu *debitorum aliorum*, in quibus fatentur fideles manere Apostatis obligatos propter matrimonii vinculum. *Confess. pag.* 358. Artius omnino adstrictum est à matrimonii vinculo Debitum conjugale, quam aliud quodvis debitum; Quia nulla solutione redimi potest, extra causam Adulterii, Matth. 19. 9. & 5. 32. aut malitiosæ desertionis 1. Cor. 7. 14.

8. Evasio Anabaptistarum qua locum Apostoli torquent ista est: *Paulum tantum obviam ire illis qui jam antequam credidissent, in Gentilismo, in infidelitate, eo pacto conjugati essent; ac suggerere illis*

illū consilium quomodo Deo placere queant, & absq; fidei noxa, matrimonii usum impollutum servare. 1. Cor. 7. Ea propter aliud quid esse divortium ab Excommunicatis, aliud ab infidelibus: Penes Sectas non esse verum matrimonium in Domino : illis qui prævaricatores sunt in Fide, & in ea fecerunt naufragium non esse ultra matrimonium in Domino: quia Matrimonium à Deo institutum est in Ecclesia. Vnde vir typum gerit Christi, & Femina Ecclesiæ. Quemadmodum refert Apostolus Paulus ad Ephesios arcanum illud mysterium. Vbi constituitur Viri mago seu figura Christi, Fœmina autem Ecclesia Dei &c. Libello de Censur: Eccles. quem indicavimus Disp. 39. Thes. 4. Verum ista hæc evasio nulla est. Quia Matth. 18. ad vitandos excommunicatos, nihil atrocius præscribit Christus, quam illud: Sit tibi tanquam Ethnicus, seu Gentilis infidelis. Quidquid ergo disputant de Matrimonii nullitate cum excommunicatis, id si ipsis demus destruxerint eadē opera & nullū effecerint Matrimonium cū Ethnico infideli.

9. Quod vere ex Scriptura efficitur, de Matrimonio in Domino, illud est, quod lubentes largimur: Vitanda esse Christianis *matrimonia contrahenda,*

cum Infidelibus, & cum Apoſtatis ſeu Excommunicatis, nec ſancte contrahi poſſe. *De Contracto autem matrimonio* habemus hactenus confitentes Anabaptiſtas, nec vinculum nec debiti conjugalis nexum diſſolvi inter Fidelem & Ethnicum infidelem. Anabaptiſtis de cætero affimantibus (*non quidem vinculum matrimonii, ſed tamen nexum debiti conjugalis diſſolvi inter fidelem & Apoſtatam Excommunicatum*,) incumbit probatio, quæ hactenus nulla eſt.

10. Nos cum Scripturis affirmamus habendos Excommunicatos, ut Ethnicos infideles, Matt. 18. His ergo & illis pariter applicandum Apoſtoli edictum; quo vetat fidelis ab infideli divortium: ſi non malitioſe ab infideli deſeratur. Addita etiam illa conſolatione (contra quam hic Anabaptiſtæ laqueum injiciunt conſcientiis fidelium:) ſanctificatum eſſe, ad liberorum ſanctorum generationem, conjugi fideli, conjugem infidelem. 1. Cor. 7. 12. —— 16.

11. Notamus porro illam erroris gangrænam; quod illi contra quos diſputamus Anabaptiſtæ, neceſſe habent *Matrimonium* cum Papiſtis facere

Sa-

Sacramentum novi Testamenti: Quandoquidem asserunt illud *à Deo institutum esse in Ecclesia*: & quidem in signum Mysterii magni Unionis Christi cum Ecclesia.

12. Denique isti dicti rigidi Excommunicatores, simili quo Papistæ aguntur contradictionis Spiritu, prolabuntur in illam doctrinam Dæmoniorum, quam notavit Apostolus 1. Tim. 4. 1. 5. eo ipso quod, (ut scilicet Apostatam excommunicandum usu rei sacræ arceant;) *fideli interdicunt usu conjugii*; quod ipsi sanctificavit Deus, vinculo ut ipsi fatentur indissolubili: injicientes conscientiæ laqueum si destitutus sit dono continentiæ; ut uri potius debeat quam propria uxore frui: contra divinam institutionem, 1. Cor. 7. 2. & Apostoli edictum. ibid. vers. 9.

Disputatio XIV.

Ad

Præceptum IIX.

1. Anabaptistarum cum Socinianis consensio de *nullis in V. T. spiritualibus sed Terrenis tantum Promissionibus*; flagitat ut cum

iisdem hic sentiant, *Christum correxisse Decalogi præceptum IIX. prohibita avaritia, per Orationis Dominicæ petitionem IV. qua fas tantum est flagitare Panem quotidianum*; cum olim non imposita fuerit fibula avaritiæ seu cupiditati diteſcendi, sed foverint illam promissiones temporales bonorum terrenorum. Nos Ecclesiæ V. T. asserimus, communes cum Ecclesia N. T. promissiones spirituales, de communi animarum salute. Inficiamur autem ullas unquam à Deo profectas promissiones hujus vitæ terrenæ, quæ fibulam laxarent avaritiæ.

2. Quamvis non palam adoptent Anabaptistæ istas circa præceptum IIX. Socinianorum hypotheses: Sapit tamen eandem gangrænam una atque altera quam notabimus decisio casus conscientiæ, qui enascitur inter ipsos ex abominatione & *Iuramenti & Magistratus Politici:* Ex juramenti quidem abominatione præpostera, laqueum illum injiciunt conscientiis; *ut pro bonis male partis habeant, quæ legitimo Domino vindicantur per juramentum coram Magistratu præstitum*, quia *in negotiis temporalibus pecuniariis* (secundum Mennonis S. assertionem quam audivimus Disp. 37.)

37.) ἀπορρήτως præciſe nefas eſt jurare.

3. Quin ultra, in *Querela quadam Epiſtolica de Calamitatibus ſuis edita a. 1570. Ziriczani Anabaptiſtæ* illi equuleo ſubjiciunt Mercatorum conſcientias, *in Negotiationis ſeu Mercaturæ examine de Injuſtitia indirecta & participata: Vt male partis accenſeant bona illa, ad quorum ſecuritatem, in terris Romani Imperii, intercedunt diplomata de vectigali ſoluto, aut de Jure civitatis quæſito jurejurando firmata; vel literæ ſalvi conductus.* Quam praxin Mercatorum perſtringunt hoc Monito Chriſtiano, *Deo ſoli fidendum eſſe, nec quærendam hominum tutelam.* Ac tolerantiam *Crucis Chriſti* interpretantur, ſi quis luat ſecundum conſtitutiones imperiales debitam mulctam, neglectis munimentis illis jam dictis, quibus perſonis & mercibus caveri ſolet. Nos iſtam quidem Crucis Chriſti tolerantiam nullam cenſemus; ſi quis negotiationis ſeu mercaturæ cauſa terram hoſtilem (in qua propter religionem puriorem exſpectanda eſt perſequutio, niſi ſe impetrato ſalvo conductu munierit,) iſta divini auxilii temeraria perſuaſione ingrediatur, contemptis auxiliis humanis ordinariis. V.G.

literis ſecuritatis aut ſalvi conductus, *paſſeport*.

4. Ex abominatione porro Magiſtratus Politici, hanc notamus gangrenam circa Præceptum IIX. qua luxant obligationem conſcientiæ, in *ſolutione tributorum & vectigalium ac cenſuum: iſtis* enim *conſtitutionibus & ordinationibus Magiſtratus Politici de quibus Paulus loquitur Rom. 13. proprie nullum in Chriſtiana Republica cenſent locum eſſe. ſed in mundo tantum, apud eos, qui extra ſunt.* Ex quo, quicquid diſſimulent, ceſſante ex hypotheſi Republica illorum qui extra ſunt, in Chriſtianiſmo ceſſabit omnis conſcientiæ obligatio ex qua Chriſtiani Chriſtianis ſolvant vectigal aut tributum ullum: Et Chriſtiani ſolventes vectigal aut cenſum iis ſub quibus vivunt Magiſtratibus; libere tantum ſolvent; non ultra in conſcientia ad illam ſolutionem vectigalium obligati: quam ut litent tranquillitati ſuæ: & evitent pœnam aut multam lege conſtitutam. Hanc ipſis mentem eſſe liquet ex *I. v. M. de jure belli libello vernacule edito. 1583. Sunt opera quædam inquit, in ſe minime impura, qua non jubemur vitare: Sic rite intelligas oportet precepta*

Dei

Dei istia: cum Mundo Edere, Bibere, Negotiari Emptione & Venditione, Vectigalia & Censum solvere, & similia, nusquam Christianus vetita sunt, neque mandatum ut iis abstineant. Nos ex Ro. 3. 7. solutionem vectigalis & census, negamus accenseri debere istis adiaphoris reliquis: ac pronunciamus vastam hic conscientiam prodere Anabaptistas: in qua nullus esse potest morsus aut scrupulus iis qui strenue Magistratum fraudant suis vectigalibus: ut præ aliis rem faciant ac ditescant: Nam ex dicta hypothesi qui caute hoc facit, ut à pœna aut mulcta se præstet liberum, judicandus est *vitasse communionem cum Mundo minime necessariam.*

5. Hoc absurdo posito consequetur aliud quod *rigidos excommunicatores* tangit, si quis ab ipsis excommunicatus, ipsorum judicio Apostata, evectus fuerit ad Magistratus politici aliquod fastigium: nefas etiam fore ipsi tributum aut vectigal solvere, quod infideli alias in mundo libere solvi posset; ac, potius quàm illa minime de jure divino necessaria communione cum Apostata peccetur: tolerandam crucem Christi.

Ad præceptum IX.

1. Circa præceptum IX. initio peccant Anabaptiſtę errore illo, quem ad præceptum III. audivimus, de *Falſo tantum juramento vetito vi præcepti III. in V. T.* Sic enim ad præcepti III. ψεύδεσθαι rapitur, id quod proprie vetatur IX. præcepto, falſum teſtimonium vetitum: quod per ſe ad tabulam ſecundam Decalogi ſpectat, ac diſtinguendum fuit, à cumulo peccati in primam tabulam, quando additur falſo teſtimonio contra proximum impia nominis divini invocatio; ad patrocinium falſi teſtimonii. Indoctum hoc, & ἀθεόλογον.

2. Paradoxum porro iſtud notamus verbis *Brixii* Colloquutoris Anabaptiſtę in *Collat. Emb: Artic. 13. Act. 118. fol. nobis 348. Porro tam ſevera pœnæ gravis comminatione Chriſtiano vetitum eſt mentiri; quam Iſraeli Levit. 19. vetitum fuit non jurare falſum juramentum: ſicut legi poteſt Apoc. 21. & 22. illis qui mendacium faciunt & amant, partem fore in lacu ignis: ſicut quoque teſtatur Evangeliſta Iohannes cap. 8. Verum legitur Levit. 5. illum qui peje raſſet, potuiſſe expiari*

ri oblato ſacrificio pro peccato ſuo.

3. Reſpondemus fallere & falli *Brixium*, ſi neget pœnam inferni meritos in V. T. qui falſo teſtimonio vel injurati contra præceptum IX. vel jurati contra III. & IX. peccarent: ac ſi cenſeat oblato ſacrificio typico conſtitiſſe ſolidam & veram in V. T. expiationem perjurii: nulla vero oblatione ne typica quidem ſimplicis mendacii aut falſi teſtimonii opus fuiſſe.

4. Notamus autem inextricabilem ex iſta aſſertione labyrinthum iſtum: quod 1. videtur conſequens, minus eſſe poſſibilem illorum qui peccant contra præceptum IX. cum Deo reconciliationem, in Novo, quam olim in Veteri Teſtamento. 2. videtur & illud ſtatui, non fuiſſe in oblationibus veteribus ſacrificiorum miniſterium mortis & condemnationis æternæ, quam ſe meritos profeſſi ſint offerentes victimas pro peccatis. 3. videtur denique conſequens, non exiſtimare *Brixium*, mortale peccatum eſſe, & forte ne peccatum quidem, mendacium quod non actu punitur morte æterna in lacu ignis, ſed intercedente reconciliatione & expiatione vera condonatur.

5. Iſt

5. Ist hæc omnia repugnant analogiæ Scripturarum, juxta quam asserimus, remitti & remissa fuisse pariter in Veteri & in Novo Testamento, quâ mendacia quâ perjuria, per expiationem à Christo factam, quæ olim typica expiatione fuit obsignata resipiscentibus: intelligi tamen utraque mereri pœnam infernalem, quamvis gradu distinctam: quam si non merebantur olim perjuria, nullum fuisset imperatum holocaustum ad eorum expiationem. Mendacia vero simplicia, si non peculiari sacrificio imperato extra ordinem, expiata tamen fuere morte victimarum, & in jugi quotidiano sacrificio, & in anniversaria expiatione.

Ad Præceptum X.

Revocabimus tantum hic in memoriam Gangrænam quam notabamus *Disp. XIII. de Creatione Hominis ad Imaginem Dei, Thes. 9. & 10.* Quod contra Ἀγνοιαν Præcepti X. *negent ex se malam esse, sed Dei ordinationi in natura hominis adscribant, inclinationem quam homo habet ad illa quæ Lego Spirituali vetita sunt. Confess.*

seß. opposs. Fankelio. pag. 94. 95. Vide illic Censuram nostram, nec non *Disput. XXIV. & XXVI.*

COROLLARIUM.

An peccatum sit *mortale*, *Cogitare sic apud se, Si peccatum non esset furtum aut adulterium, &c. illud facerem.* Affirmamus contra *Aphorismum* 2. *Emmanuelis Sa Iesuita.* Titulo *Peccatum.*

DISPVTATIO XV.

De

Regimine Ecclesiastico N. T.

1. SUpponimus in hac Disquisitione ex Disput. 39. Distinctionem de jure divino perpetuam inter Magistratus Politici functionem, ac potestatem temporalem, jure gladii armatam, & Jurisdictionem regiminis Ecclesiastici, tantum armis spiritualibus instructam, ac distincta vocatione divina mandatâ Personis Ecclesiasticis, ad Ecclesię tanquâ Regni Christi quod non est de hoc mundo gubernationem

nem ſpiritualem: Quam diſtinctam vocationem in N. T. exhibuit palam praxis Eccleſiæ Apoſtolicæ, vocationi Magiſtratus civilis nec connexam, nec implicitam, nec obnoxiam.

2. Neque illa diſtinctæ & liberæ vocationis Eccleſiaſticę praxis imputanda calamitati temporum quibus nullus erat Magiſtratus Chriſtianus: quia quicquid hic Magiſtratui quâ Magiſtratui eſſet obnoxium, id etiam Magiſtratui infideli fuiſſet aſſerendum ab Apoſtolis. Enimvero intercedunt hic & præſcribunt, pro diſtinctione à nobis aſſerta, Canones illi Apoſtolici qui 1. excludunt à Regimine Eccleſiaſtico Fœminas & pueros minorennes, non excluſos à Magiſtratu civili aut regno. 2. vetant ἀξιωπολησίαν illam, qua non peccatur in electione Magiſtratus Politici, quando arcentur à Reip. clavo pauperes, atque illis præferantur & præficiuntur ditiores 1. Cor. 14. 34. 1. Tim. 2. 11. 12. Jac. 2. 2. 3. 4.

3. Perſonis illis Eccleſiaſticis aſſerimus ſuum de jure divino *Synedrium Eccleſiaſticum*, quo tractantur res Eccleſiæ ſpirituales, & exercentur cenſuræ Eccle-

Ecclesiasticæ; penes quod etiam, ut Ecclesiam repræsentativam, est prima cura vocationis Ecclesiasticę; sed res geritur sine potestate prætoria; conscia & contentiente in publicis Ecclesiæ negotiis reliqua Ecclesia, cui Personę Ecclesiasticæ ministrant non imperant, docentes illam servare mandata Christi. Jus illud divinum Synedrii Ecclesiæ repræsentativæ N.T. confirmavit Christus verbis illis *dic Ecclesiæ Matth. 18. 17.*

4. Ministrorum Ecclesiæ quibus mandatum est regimen Ecclesię N.T. gradus extra ordinem plures fuere in prima Ecclesiæ fundatione; ac nonnullorum qui primi vocati Apostoli &c: vocatio & missio immediate à Christo ipso facta Matth. 28. 18. 19. Ro. 1. 5. Gal. 1. 1. Eph. 4. 11. 12. Illorum autem fundatione institutum est in Ecclesiis ministerium ordinarium, ordinatis ad Ecclesiæ gubernationem illis qui *Episcopi & Presbyteri* dicti: ad curam autem pauperum & ad collectas necessarias *Diaconus*. Tit. 1. 5. Act. 6.

5. Est ergo illa de jure divino graduum distinctio inter Personas Ecclesiasticas N. T. ut Eminentior sit gradus

dus *Seniorii qui Verbi ministri sunt*; præ illis *qui tantum regimini præficiuntur:* & inferiores utrisque *Diaconi*. 1. Tim. 5. 17. Act. 6. 2. 3. 4. At inter primi ordinis Seniores graduum distinctio nulla est: neque illos à secundi ordinis Senioribus distinguit eminentior aliqua in Ecclesiæ gubernatione jurisdictio: Sed utrorumque cæteris paribus est ἰσοτιμία & potestas par. Cujus paris dignitatis exemplum præscriptum est in Apostolis Matth. 23. 8——11. Marc. 10. 43. 44. & exhibitum, quâ inter ipsos solos. 1. Cor. 15. 11. 2. Cor. 12. 11. Gal. 2. 6. 9. quâ inter ipsos sociatos Senioribus aliis ordinariis primi & secundi ordinis: qui ut *promiscue utrique Episcopi & Presbyteri dicti, sine ulla Episcoporum eminentia.* Act. 20. 28. cum vers. 17. ita se Apostolus Petrus vocat Presbyterorum Compresbyterum seu Conseniorem. 1. Pet. 5. 1.

6. Multiplex hic est Anabaptistarum hallucinatio: 1. Pronunciant, *se duplex tantum in Scriptura reperire principale officium ministerii: unum quod flagitat Prædicationem Verbi Dei, & administrationem Sacramentorum. Alterum curam necessitatis pauperum: Conf. oppos. Faukelio*

pag.

pag. 217. Etquamvis, vi veritatis cogente, hactenus cedant *pag. 218. & 220. ut negent ſe velle ſuperſtitioſe contendere contra ordinem inferiorem Seniorum gubernantium*: Pervertunt tamen Scripturas, in quibus pronunciant *Nomina Seniorum Operariorum & Rectorum, communiter & pariter attributa eſſe, Doctoribus & Curatoribus pauperum*: qua aſſertione excluſis ſecundi ordinis Presbyteris ſubſtituunt Diaconos: indicatis locis Act. 21. 18. 1. Pet. 5. 1. 1. Tim. 5. 17. 18. Act. 20. 28. 1. Cor. 12. 28. *Pag.* 217. 218.

7. 2. *Ibidem pag.* 218. incurrunt in Eccleſiam repræſentivam, quam penes Synedrium Presbyterorum ſtatuunt noſtræ Eccleſiæ Reformatæ: quas hac cenſura notant, *Gubernationem Seniorum non manere intra limites modeſtiæ; ubi Presbyterium, conſtans numero ſelecto Seniorum, ſibi arrogat Iudicium ut Eccleſiæ repræſentativæ*: Quia cenſent ipſi *Iudicium eſſe penes corpus integrum totius Eccleſiæ.* Sicut alibi, litigantes de verbis illis *dic Eccleſiæ*, praxin noſtrarum Eccleſiarum exagitant & rident *ut Iudaicam, in libello de Cenſur. Eccleſ. cap. 9. ac neminem ex confeſſu Eccleſiæ judicantis*

elimi-

eliminatum volunt, preter ſolum peccatorem Judicandum. Nos indoctam & ἀθεόλογον cenſemus irriſionem illam de Iudaïſmo, quæque in Chriſtum ipſum recidit, qui Iudaice loquutus eſt Iudæis, de diſciplina exercenda in Eccleſia N. T. verbis etiam illis, *Sit tibi tanquam Ethnicus*; & ipſum *Clavium* nomen adhibuit hic, mutuata allegoria ab officio Janitorum Templi in V. T. Ezech. 44. 5. & 23.

8. Judaïce autem loquens Chriſtus confirmavit Eccleſiæ N. T. jus vetus divinum Synedrii, & Cenſuræ Eccleſiaſticę Synedrio exercendę, quam & ſeorſim olim, ſaltem diſtincte à poteſtatis civilis judicio exercitam in V. T. aſſeruimus *Diſp.* 39.

9. Enimvero incurrit Anarchia illa Anabaptiſtica, (qua *jubent ſedere omnes in conſeſſu Judicii Eccleſiaſtici, excepto ſolo peccatore judicando,*) non una ratione in Canonem Scripturæ Apoſtolicæ: maxime ſi praxin illorum ſpectemus, qui ne quidem fœminas eliminant; ad eo ut *libri etiam illorum ab Eccleſiis ſcripti & editi ad pacificationem mutuam, loquantur*, juxta hoc quod damus Specimé

a. 1570. *Opusculum hoc prodit à Fratribus & Sororibus Ecclesiæ Ziriczeanæ qui se litigationi non immiscent, ad excitationem charitatis, pacis & concordiæ, inter omnes tam mirabiliter divisos, sive Frisii sint, sive Flandri, sive neutri, &c.* Hoc enim contrait aperte illi mandato Apostoli; Mulieres vestrę in conventibus sileant: nec enim permissum est eis ut loquantur sed ut subditæ sint; sicut & Lex dicit. Quod si quid discere volunt, domi suos viros interrogent. nam turpe est mulieribus in conventu loqui 1. Cor. 14. 34. 35. Manifestè ergo saltem penes sexum masculinum, Apostolus voluit esse, sicut in Veteri sic in N. T. Ecclesiam repræsentativam: sedentem in judicio: Non obstante communi utriusque sexus fide & salute. Gal, 3. 28, cum 6. 3. 4. 5.

10. Enimvero illa ex Lege petita ratio repręsentationis fœminarum in sexu masculino, (quam Apostolus urget, ex imperata fœminis obedientia, ut subditæ sint) non solas fœminas tangit, sed universim cum fœminis etiam mares quoscunque quibus imperatur ut ductoribus seu ante-

anteceſſoribus ſuis obediant & ſubditi ſint. Heb. 13. 17. Ductorum ſeu anteceſſorum autem nomine veniunt Doctores & Seniores in Eccleſia, qui cenſentur oculi eſſe in Eccleſiæ corpore, ut ductum illorum membra alia ſequantur 1. Cor. 12. 14-31. & cap. 14. 32. 37.

11. Qui ergo è Chriſtiana Eccleſia, auferunt Eccleſiam Repræſentativam illorum qui Doctores & Ductores ſunt Eccleſiæ, illi monſtroſe faciunt in corpore Chriſti oculos tot quot membra; & peccant contradictione Korachi, Judæ. 11. contra præceptum Decalogi V. luxata obedientia à Deo & Chriſto imperata. Quam contradictionem cumulant, ad conflandam apud Magiſtratum Eccleſiis noſtris invidiam, iſthac cavillatione, *Siquidem ex veteri Iudæorum praxi traductum eſt Presbyterium in Eccleſiam Chriſtianam ergo injuriâ extra Presbyterium eliminari Magiſtratum civilem ejusque juriſdictionem civilem.* Ad quam reſpondemus, minime Magiſtratibus Chriſtianis audiendam hanc interlocutionem ab illis profectam, qui non extra Seniorum Eccleſiq numerum ſelectum; ſed extra Eccleſi-

am

am electam omnino eliminant Magistratum: In Ecclesiis autem Reformatis nostris, ne quidem Seniores leguntur, cum illa personarum acceptione, ut excluſi sint qui Magistratus officio funguntur aut judicii civilis assessores sunt. De cætero quid respondendum sit ad rem, suppposuimus *Thesi I.*

12. Adeo autem in sua Anarchia quam in Ecclesiam inferunt depudueruntAnabaptistę, ut *libello* aliquoties indicato *de Censuris Eccles. pag.* 170. rideant ubi rideri merentur; *quod alienum censeamus ut in Judicio sedeant Actores & Testes, atque ut illud evitemus constituamus numerum selectum eorum, qui cum auctoritate judicium ferant inter Actorem Reum & Testes, ut inter partes adversas*: Hoc nomine nobis impingunt *Sapientiam Mundanam.* Hæc indicasse est refutasse.

DISPVTATIO. XVI.

DE
Ministris Ecclesiæ N. T.

1. PRo Synedrii seu Presbyterii Ecclesia representativa dicendum hoc superest ad Apologiã contra Anabap. Nihil, praxi nostrarum Ecclesiarũ, à Presbyterio præjudicari aut derogari reliquo corpori Ecclesiæ. quamvis, non congregata reliqua Ecclesia, congregentur Seniores. Quia similiter præiverunt Apostoli, seorsim convocatis Senioribus, absque reliqua Ecclesia: ac Seniorum ille cum Apostolis congregatorũ cætus, judicabat, essetne multitudo convocanda nec ne, Act. 21. 18. 22. ac decernebat, quid tractandum esset coram multitudine congregata. v. 23. &c. Ut minime fuerit gubernatio Ecclesiæ simpliciter Democratica.

2. Jam de ministris Ecclesiæ, gubernationi præfectis vocatione Ecclesiastica, dicendum est: Circa quam vocationem peccant initio Anabaptistæ, quod diffiteri nequeunt, *nimia negligentia & ofcitantia, procrastinantes vocatorum ad Verbi ministerium Confirmationem.* Enim-

Enimvero in procraſtinatione illa non ſolâ oſcitantiâ & negligentiâ peccant: ſed vel maxime ipsâ vocatione nimis præcipiti illorum, quos *Paracletos* (Vermaenders) vocant, atque ordinario Verbi miniſterio admovent, ut neceſſe ſit confirmationem procraſtinare, juſto illo tempore, quod flagitat *tyrocinium perſonæ, de qua propter donorum exilitatem, non licet ſecurum eſſe nec certo perſuaſum, penes illum fore ſufficientem profectum ut ſit διδακτικὸς, ſeu ut cum fructu doceat. Conf. opp. Fauk. p. 228. 229.* Hinc enata in ipſorum Synagogis nomina illa diſtincta, Vermaenders/ & Biſſchoppen/ quorũ illos intelligunt vocatos, hos confirmatos verbi miniſtros: atque hos foris advocant ad Sacramentorum adminiſtrationem; in Eccleſias tuas, quibus vocati tantum, non confirmati, miniſtri Verbum prædicant: ut fere omnis Anabaptiſta domi Epiſcopus foris ſit ἀλλοτριεπίσκοπος.

3. Non diffitemur quin liberum ſit Eccleſiæ miniſtris ſibi adſciſcere aliquos ad ſubſidiariam aliquam operam miniſterii. V. G. Diaconos advocare ad graviores Presbyterii deliberationes, aut miniſtrorum electionem, vel,

ministerii Sacri candidatos ad publicè concionandum, ut & exerceantur ipsi & probentur, ut præparentur ad Sacrum ministerium. Verum ut Ecclesiæ domi non alios habeant Verbi ministros vocatos, quam qui ut candidati exerceantur & probentur; ambulatorii autem sint omnium Ecclesiarum ministri confirmati; Id in Ecclesiis bene constitutis minime probandum censemus.

4. Quod jam spectat Ministrorum Verbi stipendia, super quorum solutione, à Magistratu Christiano præstanda, traducunt vulgo Ecclesiarum nostrarum pastores, ut *mercenarios*. Bene habet quod fatentur auctores *Conf. oppos. Faukel. pag. 238. 239. Deum ordinasse ut ex Euangelio vivant, qui Euangelio ministrant.* (1. Cor. 9. v. 14.) *Neque Legem latam esse Ecclesiæ N. T. qua definitus sit certus solutionis stipendii ordo: eapropter fas esse hic uti ordine illo quem Ecclesia judicabit facere ad ædificationem.* Frustra ergo exspectabunt illi, ut hic stent aut cadant ipsorum judicio, qui stipendia merentur in Ecclesiis Reformatis.

5. Enimvero respondeant Anabaptistæ planius ad quæstionem illam ad quam

quam silent: *An iis qui Euangelio ministrant, fas sit ex Euangelio vivere, titulo isto, quod toti vacare debeant ad laborandum in Euangelio, ut stipendia capiant labori suo debita.* An vero obliget illos exemplum Pauli, etiam extra casum necessitatis (in quo Ecclesiis parcendum esse nemo ambigit) ut gratuitum constituant Euangelium, sibi ipsis victum quærentes industria vel manibus suis. 1. Cor. 9 quantumvis Ecclesia vel penes se constituere possit, vel habeat à Magistratu constituta abunde stipendia honesta.

6. Nulla enim est ista ipsorum responsio ad quæstionem categorica, quando cavillantur: *Non absolute ordinasse Dominum ut omnino ex Euangelio vivere debeant qui Euangelio ministrant: offerre se occasiones & Tempora in quibus minister Euangelii, perpenso vocationis suæ officio (si divina benedictione habeat unde vivens gratuitum possit constituere Euangelium, ut oneri non sit Ecclesiæ) tenetur gratis, sine pacto stipendio (juxta doctrinam & exemplum Apostolorum) talentum quod accepit impendere proximi ædificationi, ad illum Domino lucrandum.* Gratis ista dicuntur, quæ nostrum nemo negat. Quæstio est

autem an exemplum Apostolorum quenquam obliget, ut (si nulla ipsum premat paupertas, vel necessitas, ut ad familiam alendam absque stipendiis esse nequeat, quin rei familiaris jacturam faciat,) Ecclesia non teneatur ipsi stipendium præstare, ut debitam illi labori qui Euangelio impenditur mercedem: adeoque an nihil debeat ministro ditiori, sed pauperi tantum eleemosynam. Quod si affirmarint destituentur omni ex Scripturis probatione: quas quidem in hanc sententiam vulgo torquent: ut Act. 20 33.34.35. 1. Cor. 9. 15.16. 17.18. 1. Thessal: 2. 9, cum maxime contra istam affirmationem militet locus 1. Cor. 9.

7. Non moramur itaq; Anabaptistarum illam Ἀβολὴν qua stipendia accipientes ministros quos non urget paupertas, aut qui manuum labore victum non quærunt, traducunt ut *ventri servientes, otiosos, mercenarios.* *à pag. 238. ad 243.* & nos introducunt sic docentes. *Deum ordinasse, ut quibus ipsis vel sufficiens est patrimonium vel opes alia, ad vitæ sustentationem; nihilominus centenos aliquot florenos paciſci debeant pro prædicatione: & eo pacto instituta quasi auctione nundinatio-*

tionem exercere: atque se addicere Prædicatoris mercede conductos, plures nummos offerenti. Istas quidem si palam fiant in Ecclesiis Reformatis mercenariorum nundinationes, detestandas & censura gravi notandas censemus. Viderint Anabaptistæ ne penes se habeant Episcopos plures turpis lucri cupidos, qui mercaturam exercentes per se vel suos, indirecte per fratrum & sororum commiserationem (quia scilicet sine stipendio ministrant Euangelio) plus duplo fœnerantur, quam nostris hominibus accedere queat vel à lautissimo stipendio.

8. Nos secundum Scripturas hoc asserimus; deberi Verbi ministris stipendia de jure divino, ut liceat ipsis à temporalibus curis vacare, & totos se consecrare operi ministerii; ac in eo esse: Neque hic dari exceptionem illam debere, qua scilicet propriis stipendiis militandum sit ditioribus qui sunt in re lautiori; quod absolute iniquum esse docet Apostolus 1. Cor. 9. 7. & confirmat Christi mandatum Apostolis datum, ne prędicantes Euangelium sibi ipsi providerent de alimentis aliisve necessariis, quamvis illa penes se:

se habere & secum efferre possent: sed ut suis nummis & obtoniis domi relictis, illorum quadra viverent ad quos profecturi erant, ut operarii mercede sua digni: quibus (si non præstarent obsonia grato animo) valedicendum etiam esset, cum anathematis symbolo, excusso à pedibus pulvere. Marc. 6. & Matt. 10.

COROLLARIUM.

I. An pie Menno S. loquatur, trahens ad illos qui furoribus Anabaptistarum Monasterienſium & Amsterodamenſium fuere seducti, consolationes Christi, illis dictas qui Christum sequentes reliquerunt omnia.

Ego nullus dubito, inquit, quin dilecti fratres nostri, qui aliquantulum nuper deliquerunt contra Dominum, quod armis fidem suam voluerint tueri, Deum habeant propitium: etenim, ut spero, non fuerunt istis antedictis hæresibus inquinati; neque aliud quærebant, quam Christum Jesum & vitam æternam; & pro eo dereliquerunt Domum, Fundos, possessiones, Patrem, Matrem, Uxorem, liberos, quin ipsam

ipſam vitam ſuam. &c.

M. S. libro Fundamenti editi 1539. 1540. Folio mihi 125. verſ. & 126. Neg.

II. An Prophetarum aut Apoſtolorum Exemplo, aut Johannis Baptiſtæ, aut Eccleſiæ primitivæ pio inſtituto, ſe tueri poſſint in Papatu Monachorum ordines, vel Cœnobitæ, vel Mendicantes vel Eremitæ. N.

DISPVTATIO XVII.

DE

Sacramentis N. T. in genere,

I. SAcramenta (voce recepta in Eccleſia) dicuntur, ſacra illa ac viſibilia ſigna ac ſigilla, à Deo inſtituta, & prædicationi Euangelii annexa, ad Fœdus gratiæ viſibiliter ſignificandum & obſignandum. Sacramentorum ergo nomine non intelliguntur quævis ſigna aut ſymbola, quæ quomodocunque vel habuerunt, vel forte etiamnum habere queant, ſignificationem aliquam Fœderis Gratiæ, apud

hos vel illos: sed illa, quæ, ad Fœdus Gratię obsignandum Ecclesię universæ, habent institutionem divinam, jam in Novo, sicut olim in Veteri Testamento.

2. Hic initio exsurgit controversia, *de Sacramentorum V. & N. T. convenientia*: quæ pendet ex iis quæ de differentia Legis & Euangelii Disput: XII. & XXIII. & XXX. & XXXI. & XXXII. disputata sunt. Breviter Anabaptistæ in Veteris Testamenti Sacramentis nihil agnoscunt ultra, quam *Emblema prafigurativũ beneficiorum Christi: adeoque inanes umbras rerum spiritualium*: Ut Circumcisio fuerit *Sigillum quidem sed minime ad certiorationem datum, verum ad consignationem ejus, quod nunc resignatur in Baptismo. V. L. Defens. part. 3.* hoc est per quod tectum fuit Fœdus Gratiæ, minime autem patefactum.

3. Enimvero altera, *de significatione Sacramentorum N. T.* quæstio principalis est, (quæ se offert in isthac Anabaptistarum assertione: *Sacramenta fuisse & esse externos ritus à Deo in Ecclesia imperatos, per quos non tantum invitamur ad obedientiam: sed per quos*

benefi-

beneficia Dei in Christo vel prefigurata fuere olim, vel nunc ante oculos posita sunt, & tanquam appropriata symbolice per signa exteriora, omnibus illis qui per Fidem illa recipiunt & usurpant. Confess. oppos. Faukel. pag. 248.) An appropriationem illam symbolicam quam testantur credentes Sacramentorum usu, fundet divina *obsignatio & certioratio* in eorundem administratione per ministros verbi; quod nos affirmamus Anabaptistæ negant: *pag. 249. 250.* Negationem suam palliantes prætextu illo, quod certiorationem illam detrahant *signis, quatenus tantum sunt signa exteriora, cum quibus non percipitur res significata.* Sed frustra sunt: quoniam neque nos signis materialiter consideratis tribuimus exhibitionem gratiæ ex opere operato, vel per Consubstantiationem aliquam rei significatæ: sed divinæ cooperationi cum Sacramentorum administratione à Deo instituta.

4. Ad planiorem & pleniorem istius quæstionis intelligentiam, faciet observatio ista. Quod consequens est ex Anabaptistarum hypothesibus de Sacramentorum usu, *Plura esse quam duo Sacramenta N.T.* Neque hoc illos latet:

quapropter *pag. 246. Potissimum duo*, non absolute duo esse pronunciant: ut saltem locus sit aliis etiam minus principalibus Sacramentis in Ecclesia N. T. V. G. *Matrimonio*, quod attigimus *Disp. XII. Thes. 2. & 12.* & deinde *Pedum lotioni*, quam Anabaptistica secta illorum qui **Voetwasschers** nominantur, accenset Sacramentis *N. T. Confess. oppos. Faukelio. pag. 158—262.* Nobis nec *Matrimonium* nec *Pedum lotio* est in censu Sacramentorum N. T. Quandoquidem destituuntur illa institutione divina, per quam omnibus Ecclesiæ membris imperata sit vel communio vel contrectatio corporum mutua, ad obsignandam in Fide communionem spiritualem corporis Christi. Non obstante illa (quam in Matrimonii Emblemate illo, quod duo sint in carnem unam, meditari jubemur) significatione unionis mysticę inter Christum & Ecclesiam ejus Sponsam: Quia non est cum meditatione illa omnibus imperatus Matrimonii usus.

§. Dato ergo non concesso, esse aliquam permanentem Lotionis pedum usum; sicut permanens est Matrimonii usus ex institutione divina: nulla tamen so-

foret institutio, quæ illam efficeret Sacramentum N. T. In Sacramentorum n. censum non veniunt instituti ritus vel actus, quos usurpari in cœtu Ecclesiæ publico, sine sexus alterius reverentia, non sinit honestas & decorum civile; sed quibus vel domus privata, vel thorus dicata sunt: Quod argumentum suggerit ipsorum confessio *pag. 261. Non esse lotionem pedum, personis singulis necessario dicatam; ac propterea non usurpandam in loco conventus publico.*

6. Interim Pedum lotionem definiunt, *debitum à se officium obedientiæ, ad imitationem exempli humiliationis Christi, quam Apostolos docuit Christus: pro qua libentes sustineant opprobrium cognominationis jam dictæ.* Quod jam examinandum penitius. Quis negat Christum laviſſe pedes Discipulorum suorum? atque eo facto reliquisse exemplum humilitatis suæ nobis imitandum? Joh. 13. 4. 15. Atqui, eo nõ obstante, non habent ipsi Anabaptistæ, pro imperato aut in ritu sacro lotionis pedum ritu, illum quẽ usurpavit Christus, prolixe descriptum istis septem circumstantiis, quod 1. Surrexerit à Cœna. 2. Pallium exuerit 3. acciperti linteum. 4. præcinxerit se. 5.

miſerit aquam in pelvim. 6. laverit pedes. 7. lotos exterſerit linteo quo erat præcinctus: includuntur porro duæ illæ. 8. Quod Magiſter ipſe, 9. laverit Diſcipulorum pedes. Quod dum nonhabent pro ſufficiente in N. T. præſcripta obſervantia: atque affirmant *proximum illud eſſe, ut ſequantur exemplum Patriarcharum, qui quum ob cauſas ſonticas alii alios inviſerent, invicem ſe excipiebant Pedum lotione:* velint nolint, è numero Sacramentorum N. T. Pedum lotionem eliminant: ac præceptum Chriſti coguntur relinquere nobis, non ultra ritibus iſtis quibus Chriſtus uſus eſt. (adeoque nec ipſi Pedum lotioni) adſtrictum, quam ubi & quantiſper illud flagitant mores & ritus gentium ad obſervationem decori civilis, in civili hoſpitalitatis officio.

7. Erat autem illa olim in V. T. uſurpata Pedum lotio non magis ſacer ritus inſtitutionis divinæ, quam *Manuum lotionis* miniſterium Eliæ præſtitum ab Eliſæo. 2. Reg. 3. 11. aut *Portatio ſolearum* Matt. 3. 11. aut *incurvatio ad ſolvendas ſolearum corrigias* Marc. 1. 7. Ut indocta ſit, & Fratribus

tribus discalceatis in Papatu digna, hæc Anabaptistarum παιδιατῶν affectata in nationibus occidentalibus, pedum lotio (ubi nullam flagitat, officium humilis fraternæ hospitalitatis,) occasione sermonis in mandato Christi attemperati ritibus gentium orientalium; quod temperamentum sermonis non ita est vexandum; sed accommodandum receptis ritibus analogis, in humili fraterna hospitalitate. Maxime quia pedes lavandos nudare, non apud omnes jam honestum aut decorum est: nec ad viduæ jam commendationem facit, Sanctorum virorum pedes laviſſe, de ritu externo intellectum, & explicatum ex praxi. Lucæ 7. cum 1. Tim. 1. 10.

8. Quanquam disquiri permittimus. An verba Pauli *de vidua, qua sanctorum pedes lavit*, flagitent viduæ ἀυθεντρχίαν in sanctorum pedibus lavandis; quid enim vetat ut quod per suos ministros præstitit, ipsa præstitisse dicatur? Neque ex raptu zeli, quo suis illa manibus pedes Christi lavit in Euangelio Luc. 7. 39. 44. de praxi communi judicium fieri potest infallibile.

9. Breviter ergo quamvis (ultra ea quæ

quæ jam dicta de imperata in Lotionis pedum ſymbolo humilitate Chriſtianâ) habuerit eadem quoque *ſymbolum gratuitæ ablutionis à peccatis per ſanguinem Chriſti mox fundendum.* Joh. 13. 7——10. Tamen non eſt ritus Eccleſiæ N. T. à Chriſto imperatus, ad communis juſtitiæ Fidei publicam obſignationem, ſicut imperatus eſt Baptiſmus & S. Cœna.

10, Illud autem Chriſti Mandatum Joh. 13. 13. 14. 15. (*Si ego lavi pedes veſtros dominus & magiſter; vos quoque debetis alii aliorum pedes lavare: Exemplum enim præbui vobis, ut prout ego feci vobis ita & vos faciatis.*) Si obligat præciſe Eccleſiam N. T. ad externum ritum Lotionis pedum, ut Sacramentum imperatum: ſaltem ad humilitatis teſtificationem in quovis loco, in quavis natione. Quidni etiam habebimus pro Sacramento imperato Eccleſiæ N. T. ad teſtificationem Charitatis Chriſtianæ, cum ſignificatione Charitatis qua nos dilexit Chriſtus *Salutationem cum Oſculo ſancto*, à Paulo commendatam Eccleſiis? Rom. 16. 6. 1. Cor. 16. 20. 2. Cor. 13. 12. 1. Theſſ. 5. 26, quod Petrus vocavit *Oſculum Cha-*

Charitatis. 1. Pet. 5. 14. Confer. Cant. 1. 1.

DISPVTATIO XLIX.

DE *Anabaptismo.*

1. EX præcognita in genere Sacramentorum definitione asserimus contra quoscunque Duo tantum esse veri nominis Sacramenta N. T. Baptismum & Cœnam Dominicam, ex quibus Baptismus Circumcisioni, Cœna Dominica Cœnæ veteri Paschalis Agni successit in Ecclesia N. T. De Baptismo dicendum in præsens.

2. Baptismus est Sacramentum Novi Testamenti, à Deo institutum & per Johannem Baptistam ac Jesum Christum initio promulgatum Ecclesiæ Judaicæ; sed mox sub Christi adscensionem à Christo dicatum Ecclesiæ Catholicæ ex Judæis & Gentibus colligendæ usque ad finem mundi. per quod à Ministro verbi, Dei nomine, Fœderatis omnibus, qui commu-

nio-

nionem habent cum Deo Patre Filio & Spiritu S. per Fœderis Mediatorem Christum, nondum Novo Testamento initiatis, Aqua affunditur, vel aspergitur, in Nomine Patris Filii & Spiritus S. ad significandum & obsignandum ipsorum susceptionem in Novum Fœdus gratię per Jesum Christum exhibitum.

3. Hic prima exsurgit controversia *de Baptismo Iohannis* quam attigimus *Disp. XXXIV. Thes. 8.* qua Anabaptismo viam sternunt Anabaptistæ, istis Hypothesibus. 1. *Demum post Resurrectionem Christi institutum esse Baptismum Euangelicum N. T. Matth. 28. 19. Marc. 16. 16. Confessi oppos. Faukelio pag. 263. 2. In Baptismo Iohannis non liquere postulatam fuisse professionem fidei in Iesum Christum. 3. Neque adhibitam Formulam illam, in nomine Patris Filii & Spiritus S. 4. Ea propter iterum baptisatos fuisse in Nomine Domini Iesu, qui jam baptisati fuerant à Iohanne, Nominum illorum ignari.* Ad primum non opus est hic proliziori responsione, (postquam Disput: jam indicata incisi sunt nervi erroris Anabaptistarum *de Legali* ut illi

volunt *non Euangelico ministerio Ioh. Baptistæ.*) quam quæ jam posita est: Non demum tunc institutum fuisse Baptismum Euangelicum N. T. sed qui jam institutione divina initium acceperat, in Ecclesia Judaïca, per Joh. Baptistam & discipulos Christi: nove dicatum fuisse Christi mandato Ecclesię ex Judæis & Gentibus Catholicæ N. T.

4. Ad secundum respondemus verbis expressis Pauli Apostoli Act. 19.4. 5. Johannes quidem baptisabat Baptismo resipiscentiæ dicens populo ut in eum qui venturus erat post ipsum crederent, hoc est in Christum Jesum; Qui vero illum audierunt baptisati sunt in nomen Domini Jesu.

5. Ad tertium dicimus: Si valet consequentia à non expressa in historia Baptismi Johannis Formula illa *In nomine Patris Filii & Spiritus S.* licebit eadem consequentia negare ab Apostolis post Christi ascensionem usurpatam Formulam illam. Deinde ex historia Baptisati à Johanne Domini Jesu, liquet abunde, Formulam à Christo ascensuro Apostolis imperatam, originem habere, ab apertissima illa Patris Filii & Spiritus S. ad Jordanem ap-

apparitione, qua confirmatus est Baptismus Johannis Christum Baptisantis, ut Sponsorem Fœderis, qui impleturus erat omnem justitiam: vide *Disp. nostram de Fœdere X.*

6. Enantiophanes illud ex Act. 19. 2. *Neque hoc quidem audivimus an sit Spiritus S.* non probat baptisatos à Johanne nomen ipsum Spiritus Sancti Ignorasse, quod ignorari non patiebatur Scriptura Prophetica: conciliatur autem facilime ex sequenti historia versus 6. ut explicandum sit non de Nomine aut Persona, sed de miraculoso extraordinarie effuso dono Spiritus sancti: quod qui acceperant, loquebantur linguis & prophetabant.

7. Ad quartum respondemus; non posse id quod asseritur, de rebaptisatis Baptismo Apostolorum, qui initio baptismum Johannis susceperant, demonstrari ulla Scripturæ affirmatione. Ex loco quidem Act. 19. qui hic urgeri solet nihil efficitur; quando verborum series versu 4. & 5. sine interruptione continuata vindicatur Paulo ad viros illos 12. Ephesios loquenti: non, ut vulgo fit, Lucæ narranti historiam actorum Pauli tribuuntur

untur illa quæ versu 5. leguntur quam loci à Pontificiis & Anabaptistis vexati vindicationem, quam *D. Marnixio* acceptam fert *D. Beza in Notis Majoribus:* & nos censemus esse genuinam. Interim si quis malit concedere Ephesios illos viros 12. à Paulo baptisatos; quomodo tamen id non juvet causam Pontificiorum vel Anabaptistarum docet *Cl. Vossius Disp. de Anabaptismo Thesi. 15. & Disp. de Baptismo Iohannis. Thes.* 24—32. quo lectorem remittimus.

8. Ipsa autem *de Anabaptismo controversia*, non consistit solum, in Quæstione illa, An pro nullo censeri debeat Baptismus Baptizatorum in infantia: adeoque num adulti ad Cœnam Domini primo admittendi nove etiam baptizandi, nulla istius Baptismi in infantia administrati habita ratione: quæ esset peculiaris *de Pædo Baptismo controversia:* Verum hoc vel maxime initio quæritur, & quæsitum est à *Faukelio*, *Sintne iterato baptisandi adulti semel cum Fidei professione baptisati:* ut (quamvis forte inde originem quidem non traxerit *Anabaptistarum nomen:*) non tamen debuerint sine respon-

ſponſione defungi Confeſſione Fidei ſuæ: *pag.* 287. quandoquidem hęc eſt ipſorum praxis quotidiana, ut quoties quis ab unius ſectæ ipſorum (quæ plures ſunt) ſynagoga, ad ſectæ alterius ſynagogam tranſit, toties nove baptizetur: ſimiliter quiſquis ſemel excommunicatus, poſtliminio revertitur ad gremium Eccleſiæ.

9. Merito autem praxin illam, quæ extra controverſiam habet *Anabaptiſmum*, damnamus: propter hanc cauſam; Quod inſtitutus ſit Baptiſmus in ſignum & ſigillum ſpiritualis inſitionis in corpus Chriſti myſticum: juxta illud: Per unum Spiritum nos omnes in unum corpus baptiſati ſumus. 1. Cor. 12. 13. atque ea propter Baptiſmus appllatur lavacrum regenerationis Tit. 3. 4. Iam quandoquidem Regenerationis in Chriſtum dona ſunt ἀμεταμέλητα, quorum Deum pœnitere non poteſt. Ro. 11. 29. ut qui regenitus credit & vivit non moriturus ſit in æternum: Non convenit ut repetatur nove Regenerationis illius qua corpori myſtico Eccleſiæ ſemel initiati cenſemur, quaſi inciſæ & interciſę, viſibile ſymbolum ſemel

rite

rite administratum, ut nulla censeatur prior quamvis rite facta initiatio in Ecclesia visibili.

10. De non iterando autem Baptismo voluntatem divinam cognoscimus istis porro indiciis, 1. Quia, nec in Baptismi dedicatione jam dicta, nec alibi usquam, mandatum habemus de Baptismo iterando. Cum de Sacramento Cœnæ iterando, legamus illud 1. Cor. 11. 25. Hoc facite QUOTIESCUNQUE biberitis: &c. Quum nusquam legatur aliquis fuisse rebaptisatus: sed lapsis resipiscentibus consolationes suggeruntur, ex Baptismo semel suscepto 1. Cor. 6, 11. &c. 12. vers. 13. & Gal. 3. 27. 3. Deinque, quia Baptismus successit Circumcisioni, quę nunquam semel circumcìso fuit repetenda.

11. Quæcunque autem hic ingeruntur, de rebaptisandis saltem illis, qui initio fidem simulantes Baptismum percepetunt, & qui mox peccatis conscientiam vastantibus Christo & ejus fœderi renunciarunt: ubi hypocrisi exuta, vere resipuerint & crediderint, Refelluntur & sponte corruunt; Si attendamus naturam Fœderis, quod

quod in Baptiſmo obſignatur, in quo, quantiſper non occluſa eſt janua gratię, ſed hodie illud nominatur Heb. 3. 13. ſi à pacto reſiliat homo, ſemper pacto ſtat Deus: & conſequenter nihil attinet repeti ſigillum quod ex parte Dei obſignavit hominem: ſed duntaxat opus eſt ut homo per pœnitentiam redeat ad Deum quo percipiat Fœderis in Baptiſmo initiati fructum. Quemadmodum maritus, quando uxori adulteræ reconciliatur, non eam novo ſibi copulat matrimonio, ſed ad prius revocat Fœdus: ſive illa ab initio animum habuerit adulterum, ſive per infirmitatem peccarit fidem fallens. Similiter ſive illi qui ſpiritualiter fornicati ſunt per reſipiſcentiam revertantur ad primum ſuum in Deum charitatis zelum: ſive demum poſita hypocriſi incipiant vere credere & Deum diligere: redeunt ad ejuſdem Sacramenti quod profanarunt religionem ſemel juratam. Vide Diſput. Cl. Voſſii de Anabaptiſmo.

DISPVTATIO XIX.

De Pædobaptismo.

1. SUperest post illam *de Anabaptismo*, quæstio controversa *de Pædobaptismo* seu Baptismo Infantium: quem de jure divino nullum censent Anabaptistæ: atque inde originem accepit *nomen Anabaptistarum*; quod quosvis in infantia Baptisatos, qui ipsis nomen darent, novo Baptismo initiarent suæ Ecclesię: Fuitque hæc vox ipsius *Mennonis S. Pædobaptisma nihil differt à Baptismo campanarum; Pædobaptisma est immutatio divini ordinis, abusio nominis, & abominabile idolum*: *libro Fundam: edit. 1539. 1540. fol. mihi 41.* Et nos etiamnum nomine contumelioso *Pædobaptistarum* Papistis accenset **Anabaptistæ, Kinderdoopers.** Et *Conf. oppos. Faukelio* contra Pædobaptismum disputant, quasi nihil sit quam *signum externum absque re aliqua significata, ac consequenter nihil nisi inanis fabula. pag. 263. 278.*

2. Nos infantes fidelium Deo Fœderatorum Baptisandos asserimus hac argumentorum congerie: Quia Promis-

missio Spiritus S. & Remissionis peccatorum facta est Fidelibus adultis, & liberis ipsorum inde à matris utero sanctis: Act. 2. 39. cum 1. Cor. 7. 13. adeo ut ipsorum sit regnum cœlorum. Matt. 19. 14. & ipsi sint Christi per Gratiam Domini Jesu Christi, & dilectionem Dei Patris & communionem Spiritus S. 2. Cor. 13. 13. cum Ro. 8. 9. Suppositio illo axiomate Petri Apostoli: Num quis aquam prohibere potest quominus baptisentur isti qui Spiritum acceperunt sicut & nos? Act. 10. 47.

3. Nec ultra quicquam requiritur ad rem Sacramenti significatam demonstrandam: *vid. Disput. XXVI. Thes. 13. 14.* Ut supervacaneum sit se fatigare in Problemate illo, *An Fides, vel Semen Fidei saltem, sit in Infantibus fidelium*, ut res Baptismi significata: Sufficit enim ut sit in Baptismo res significata, Infantium à Deo insitio in Christum, & communio Spiritus S. ipsos custodientis, ad efficiendam in ipsis ubi adoleverint Fidem salvificam. Nos quidem salvo aliorum judicio tuemur Problematis illius Negativam: ac supponimus Infantes Fideli-

um

um arcanâ immediatâ operatione Spiritus S. inseri Christo, donec, vel in hac vita, vel in mortis articulo, infantilis ætas finem accipiat: ut vel hic in carne, vel exuti carne, per Fidem, vel per visionem, agnoscant quæ ipsis gratificatus est Deus, ut & nobis.

4. Quidquid sit de Problemate isto: ne quidem in adultorum Baptismo principalis res significata est Opus nostræ Fidei aut resipiscentiæ: sed Opus Dei nos obsignantis & dantis nobis arrhabonem Spiritus sui, & nos obligantis ad Fidem & Resipiscentiam: ut neque pro nullo sit habendus Baptismus, si quis adultus, initio non vere resipiscens, longo post tempore demum hypocrisin exuat, ac vere credere incipiat, ut jam dictum *Disp. de Anabaptismo*.

5. Enimvero pro Pædobaptismo vindicando à contradictione & blasphemiis Anabaptistarum, invicta est hypothesis orthodoxa *Baptismum in N. T. successisse Circumcisioni V. T.* ut ejusdem Fœderis Gratiæ illius signum & sigillum, quod promissione illa cum Abrahamo sanctum fuit; Ero Deus tuus & seminis tui. Genes. 17. 7. Qua hypo-

thesi stabilita recidit Mennonis contra Pædobaptismum blasphemia in Circumcisionis infantium Institutionem divinam; hac Parodiâ, Infantium Circumcisio nihil differt à ligni circumcisione.

6. Stabilimus autem hypothesin istam ex Apostoli verbis Col. 2. 11. 12. In quo etiam Circumcisi estis, circumcisione quę fit sine manibus, dum corpus carnis peccato carne obnoxiæ exuistis per circumcisionem Christi: Consepulti eum eo per Baptismum. &c. Quę verba ἀνακλιρρήτως confirmant Circumcisionem & Baptismũ duo esse, distinctis temporibus, Signa unius & ejusdẽ rei significatę: Adeo ut nos qui baptisati sumus jam, habemus rem, olim per Circumcisionem significatam, nobis per Baptismi Sacramentum administratã. Breviter ergo quibusolim Fœdus Gratiæ in infantia per Circumcisionem obsignari potuit & debuit: quid vetat idem iisdem jam obsignari per Baptismum?

7. Hic desperatæ Anabaptistarum causæ imputamus, Gangrænam istam omnem, quam in superioribus Disputationibus attigimus, de Veteris Testa-

ſtamenti Eccleſiæ cum Deo Fœdere minime ſpirituali, nec ſpiritualibus promiſſionibus ſancito: Adeo ut *Verbum illud Promiſſionis Abrahamo dictum, Ero Deus tuus & Seminis tui; non patiantur accipi de communi nobiſcum ſalute & vita æterna V. L. Defenſ. part. 3. Pag. 24.* Qua contradictione obloquuntur Chriſto ipſi, qui Deum de Reſurrectione mortuorum olim loquutum affirmat verbis illis, quibus ſe dixit Deum Abahami, &c. Matt. 22. 29. 32. Luc. 20. 37. Aperta autem eſt Apoſtoli affirmatio, In Circumciſionis ſigno datum eſſe Abrahamo ſigillum Juſtitiq Fidei, ut eſſet Pater omnium credentium, etiam qui in præputio crediturí eſſent: Adeo ut omnes in N. T. credentes cenſeantur filii Abrahæ; vi promiſſionis olim Abrahamo factæ benedictionis hæredes, ut unum Spirituale Semen Abrahæ in Chriſto. Ro. 4. 10——17. Gal. 3. verſ. 7. 8. 9. & 28. 29.

8. Achilles Anabaptiſtarum contra Baptiſmum Infantium iſte porro eſt, *Mandatum eſſe ut prius doceamus poſtea Baptiſemus: prius ergo docendos infantes, antequam baptiſentur. Ite docete*

omnes Gentes Baptiſantes Matt. 28. Nullum autem in ſacris inveniri Pædobaptiſmum & nullum de eo Mandatum vel exemplum. Reſp. Mandatum illud de docendis primo baptiſandis, hactenus præſcribit contra Baptiſmum Infantium; ſi quis Profectus ad Gentes quibus non auditum eſt Euangelium; prius infantes baptiſare aggrediatur, quam parentes ipſorum per Prædicationem Euangelii adduxerit ad Fidem: At nihil præſcribitur contra illorum qui prius edocti fuerint, una cum ipſorum infantibus, initiationem in Eccleſia viſibili per Baptiſmum.

9. Mandatum autem, de baptiſandis Infantibus Fœderatorum, totidem verbis quidem expreſſum in N. T. non exſtat: Attamen Nullum eſſe temere pronunciant Anabaptiſtę: cum obliget Lex & mandatum illud, quod continetur in Circumciſione, ut Fœderis gratię ſignaculo, imperata Fœderatis & Fœderatorum infantibus; & confirmata verbo illo promiſſionis Ero Deus tuus & ſeminis tui Geneſ. 17. Quod verbum promiſſionis à Circumciſione ad Baptiſmum tranſlatum eſt ab Apoſtolo. *Act.* 2. 39. atq; ea

propter,

propter nunc ad Baptiſmũ vocat infantes, ſicut ad Circumciſionẽ vocabat olim: *Vobis facta eſt promiſſio & liberis veſtris.*

10. Quid quod contra Analogiam Fidei eſt, à Fœderis Gratiæ œconomia in Sacramento initiationis, auferre in Novo Teſtamento amplitudinem illam, quam habuit in Veteri Teſtamento: ut ubi olim viſibili Sacramento initiatio fieri debuerit Fidelium, & infantium ipſorum: jam fieri debeat initiatio tantum Fidelium, excluſis ipſorum liberis infantibus. Nos in Fœderis Gratiæ œconomia nunc majori amplitudini Gratię, in Sacramento initiationis Fidelium & liberorum infantium, vindicamus illud Quicunque in Chriſto Baptiſati eſtis Chriſtum induiſtis: Non eſt.... Maſculus ac Fœmina, Omnes enim vos unus eſtis in Chriſto Jeſu: Quod ſi vos eſtis Chriſti, nempe Abrahæ ſemen eſtis & ſecundum promiſſionem hæredes. Gal. 3. 27. 28. 29. Manifeſte Apoſtolus in N. T. univerſo ſemini Abrahę (cui in V. T. debebatur Circumciſio per repræſentationem in ſexu maſculo) Baptiſmum aſſerit, ſublato ſexus diſcrimine, ut amplificet

Gratiam N. T. visibilem: Anabaptistæ contra, auferentes Baptismum Infantibus; Gratiam visibilem seu initiationis symbolũ palam in N. T. auferunt illis, quibus in V. T. debebatur: quin illis solis, quos Seminis Abrahæ nomine, Abrahamo & domesticis ejus adultis circumcisis, Deus accensebat in Fœdere Circumcisionis Genes. 17. 10 — 13.

COROLLARIUM.

1. AN Remonstrantes pie fecerint ex Pædobaptismo Articulum mutuæ tolerantiæ: ut illos etiam fratres salutent, ac in *functionibus Ecclesiasticis tolerent, qui in conscientiis suis gravari se sentiant, si Baptismum infantibus administrarent: & necessitatem sibi incumbere judicent, ut privatim rogati hanc suam de Baptismo infantium sententiam rotunde declarare debeant* Neg. videantur Articuli quos exhibent Theologi Leydenses in Censura ad Præfationem Confessionis Remonstr. ex Actis Synodi ab ipsis habitæ 26. May. 1624.

2. An isti qui circa Articulum de

Pœ-

Pœdobaptiſmo accedunt Anabaptiſtis, An reliqui, ſentiant ſecundum Analogiam Fidei Remonſtrantium. A. prius. N. poſterius.

Disputatio XX.

De
Cœna Domini
Et
Notis Eccleſiæ.

1. De altero N. T. Sacramento Cœna Domini præ ſe ferunt Anabaptiſtæ (*Conf. oppoſ. Faukelio*) *ſe ignorare, Sitne aliqua notabilis controverſia, qua à nobis diſſentiant, niſi forte in externa Cæremoniali adminiſtratione: ac ſe non improbare quæ à Calvino hic proponuntur Inſt. lib. 4. cap. 14. Sect. 43.* Interim pronunciant, *Nullam eſſe in Verbo Dei præſcriptam formulam ordinis, quam ut neceſſariam Legem ſequi oporteat, in externa Cœnæ adminiſtratione.* Ut Calvinus ſcilicet determinarit Cæremonias adminiſtrationis ſervandas, ſuo non Scripturæ Judicio; *Confeſſ: pag. 324. 325.*

2. Nobis Lex necessaria Verbo Dei præscripta, quam religiose sequimur in Cœnæ Domini celebratione, illa est, quam dictavit Apostolus. 1. Cor. 11. 23. &c. à qua si deflectitur, impuratum & adulteratum censemus Sacramenti usum; adeoque hac Nota etiam vel puriorem vel impuriorem censemus Ecclesiam. Est autem ista; ut celebretur, geminâ solennis convivii actione, ex quibus prior est Actio Ministri, qua pani & vino initio benedicit, hoc est & sanctificat & distributioni præparat, solenni gratiarum actione: ac deinde Christi convivatoris nomine & exemplo, panem acceptum frangit, edendumque præbet: & vinum similiter poculo infusum, omnibus convivis bibendum porrigit: ac mox, iterata gratiarum actione, convivas dimittit, cunctaque concludit. Altera est Actio convivarum Domini, qua Christi & discipulorum exemplo, cum gratiarum actione accepto illo pane edunt & de poculo illo bibunt omnes. Ut non tantum spectetur convivarum communio in perceptione symbolorum, sed vel maxime distributionis mini-

ministerium publicum & sacrum, Dei & Christi convivatoris gratiam obsignans.

3. Anabaptistę hic (quicquid dissimulent) ministerium illud sacrum & publicum inane reddunt, quandoquidem, omnem nomine Dei *certioratio-nem & obsignationem* per Cœnæ Dominicæ symbola auferunt, & solam relinquunt *significationem corporis & sanguinis Christi* pag. 248. 249. 250. cum 318. Quin ludentes in æquivocatione vocum Belgicarum, **gemeynschap** & **gemeynsaemheyt** / solidam etiam & realem communionem perimunt, atq; illi familiarem accessum ad Deum substituunt; ut intelligatur tantum officii nostri actio religiosa, qua ferimur ad Deum habendum, non autem Dei actio, qua nos Christo insertos in communione illa fovet, ac nutrit. *Confess. oppos. Faukelio pag.* 159. Atque hæc officii nostri significatio, ipsis est Cœnæ Dominicæ τὸ ἔργον, seu usus principalis, à qua dependenter *Deus nos consolatur & corroborat in fide.* Adoptant enim hic *Lelii Socini* heterodoxam de Sacramentorum usu sententiam disputatatam, & à Theologis Tigu-

rinis rejectam a. 1578.

4. Accedit quod cum *Fausto Socino* paria facit **Jac. Outerman**, quando, loquutus *de spirituali manducatione carnis Christi & potatione sanguinis Christi ex Ioh. 6. 34.* Ilico ista subnectit *Christum in corpore suo benedicto fuisse Lucem mundi: Etenim inquit verum exemplar fuit unicuique sancta sua conversatione ad ambulandum in luce Spirituali: & ad imitationem sui in obedientia, ut plene lucis, X. Artic. art. 5. §. 9. 10.* Quod etiam à nobis adnotatum fuit *Disp. XVII. Thess. 1.* Qua hypothesi perimitur Testamentum Fœderis Gratiæ in Christi sanguine confirmatum, adeoque aufertur & Obsignatio & significatio veræ (per λύτρον satisfactionis à Christo in morte consummatæ) Redemptionis nostræ. Quæ si non omnium Anabaptistarum sententia est: Tamen Theologiæ ipsorum Gangræna hic est; quam suo Syncretismo hic fovent.

5. Hinc porro manavit *in Sectis Anabaptistarum Flandrica dicta, rigida nimis à Cœna Domini Excommunicatio*: Quia enim divinam Fœderis Gratiæ

Te-

Testamentariam obsignationem auferunt à re significata, & functione officii nostri sola Cœnæ actionem definiunt: censent lapsos in publicum scandalum quodcunque ut *separatos à Christo & omnibus spiritualibus beneficiis*, foras ejiciendos esse; Quos Ecclesiæ reformatæ initio Suspensione sola mulctant, Excommunicatione majori non utentes, nisi ad scandalum datum accesserit pertinax impœnitentia: Quam tamen ipsam majorem excommunicationem, non habent pro peremptoria sed pro interlocutoria tantum sententia, de separatione peccatoris seu abjectione à Christo & spiritualibus ejus benedictionibus. Rigidiorem suam Excommunicationem, quomodò, non sine blasphemia in Christum ipsum Petro Apostolo parcentem, propugnent: *vide Disput. XXXIV. Thes. 3. & 4. & Disput. de Fœdere X. Thes. 14. & 26.* Scilicet contendit J. Q. *Non tam solide nos stare posse ad fugam pollutionis spiritualis Christi doctrinæ & exemplo ante mortem quam post mortem ipsius*: Quia Petrum gladio ferientem, *mox Dominum abnegantem cum sui execratione, Christus non feriit excommunicatione neque excluſit Apostolatu,*

latu. Neceſſ. Apol. Rat. 397.

6. Communis Anabaptiſtarum (quantumvis à rigidis illis Excommunicatoribus diſſidentium:) Rigor nimius iſte eſt quem notabamus *Diſp. XLVI. De Anabaptiſmo* : quod quoties quis ab unius ſectæ ipſorum Synagoga ad ſectę alterius Synagogam tranſit, toties nove baptiſatur, & ſimiliter quiſquis ſemel excommunicatus revertitur poſtliminio ad Eccleſiæ gremium.

7. Communi quoque errore Donatiſmo velificantur Anabaptiſtæ, in Diſquiſitione ad *Notas Eccleſiæ viſibilis*, Miniſterium Verbi & Sacramentorum æſtimantes, & Eccleſiam judicantes, non ex Verbo Dei vocantis: Sed ex auditorum qui Eccleſiæ nomen dederunt pietate vel impietate, ut ſi non repurgata ſit Eccleſia & ab omni ſcandalo immunis, veram illic negent eſſe & legitimam Verbi & Sacramentorum Baptiſmi & Cœnę Dominicæ adminiſtrationem.

8. Nos Veram viſibilem Eccleſiam, puriſſimam quidem illam cenſemus ubi cum pura & ſincera prædicatione Verbi Dei, viget minime adul-

te-

terata Sacramentorum administratio: nec non severa Disciplinæ Ecclesiasticæ praxis secundum Scripturas divinas: impuriores quæ, vel in Disciplinæ exercitio, vel Sacramentorum administratione, plus minusve recedunt à Scripturę Canone: impurissimas in quibus adulterata est Verbi Dei prædicatio.

9. Interim ubi salva est & integra Verbi Dei secundum Scripturas Veteris & N. T. prædicatio; salvam esse censemus principalem atque essentialem veræ visibilis Ecclesiæ Notam: & legitimam esse consequenter Sacramentorum administrationem, qua obsignantur Fidem professi adulti, & liberi ipsorum infantes. Quantumvis non semper ex voto prędicantium vocationi divinæ per verbum prædicatum, & fidei professioni qua Ecclesiæ initiati fuerunt, respondeat sequens vocatorum vita & conversatio: nec pariter in omnibus & singulis fructificet semen verbi prædicati; & nonnunquam, propter cordis duritiem luxetur nervus disciplinæ Ecclesiasticæ. Intercedit enim hic Dei longanimitas, qui vergente etiam ad apostasiam Ec-

clesia

cleſia aliqua visibili : non ilico aufert candelabrum ſuum neque ex ore ſuo evomit : ſed concedit tempus reſipiſcentiæ ; ut teſtatur hiſtoria Eccleſiæ Veteris Judaïcæ & Iſraëliticæ : & Eccleſiarum Aſiaticarum ſeptem. N. T. Apoc. 2. & 3.

10. Enimvero de Notis Eccleſiæ visibilis, minime ſibi conſtant Anabaptiſtæ. Nam *Menno S. Summarii part. I. pag.* 252. iſtas flagitat *Obedientiam Verbi Dei, ſeu vitam Chriſtianam qua ex Deo eſt : Charitatem ex intimo corde ἀνυπόκριτον erga proximum, item, profeſſionem & apologiam perſeverantem voluntatis & verbi Chriſti : item, Oppreſſionum & Crucis propter Verbum & teſtimonium Chriſti, tolerantiam.* Ex quibus, *auctores Conf. oppoſ. Faukelio*, unam & alteram videntur expungere. *pag.* 160. 167. Nos expungimus ex illarum cenſu, quot-quot ſunt Invisibiles characteres qui intus coram ſolius Dei oculis, vere credentes diſcernunt ab hypocritis : Hos enim indocte cenſemus confundi à quibuſcunque, cum Eccleſiæ visibilis Notis, per quas legitima agnoſcitur ejus exterior ἐπιφανεια.

Lectori Candido.

S. P.

CVm vacatura hic essent pagella novem, non illas tantum explendas censuimus, sed subnectendam opportunè huic nostræ opellæ, Diatribam utilissimam historicam, de Anabaptistarum Origine, Progressu, Sectis & Nominibus, quam tradidit Reverendus, Clarissimus & Dignissimus nobisque acissimus symmysta, D. Fredericus Spanhemius *S. S. Theol. D. & Professor Leidensis, Disputatione Anti-Anabaptistica prima à Thesi II. ad* XXVIII. *exclusive quæ disputata est* CIↃ. IↃC. XLIII. *3. Aprilis. Vale.*

FRED.

FRED. SPANHEMII S. Theol: D. & Professoris Leidensis,

Diatribe Historica,

DE

Origine, Progressu, Sectis & Nominibus Anabaptistarum.

2. QUod ad *Originem* hujus hominum generis, quod communiori *Anabaptistarum* nomine vulgo censetur, attinet, istius Secæ incunabula sibi vindicat Annus clɔ Iɔ XXI. quo primùm cœpit se ἀναβαπτίζειν, & orbi Europæo inferre. Illi qui primi ei obstetricati leguntur, fuêre *Nicolaus Storch*, *Marcus Stubnerus*, & vel inprimis *Thomas Muntzerus*, homines è superiori Germaniâ oriundi, quibus pietas obtentui erat, vita in speciem composita, animus verò novandi avidus, ad famam ambiens, & ad facinora natus factusque. Horum institutis hæsit ad tempus *Martinus Cellarius*, gente Suevus, *Capnionis* Discipulus & *Melanch-*

Iauchtoni familiaris; sed qui postmodum istius, ut & *Lutheri* monitis, resipuit, & cum Secta nomen vetus gentilitium excussit, novo *Borrhai* nomine adscito, sub quo Philosophicæ primùm Facultati, pòst Theologicæ in celeberrimâ Vniversitate Basileensi adscriptus, publicatis, præter scripta Logica & Mathematica, libris aliquot commentariis in Vetus Testamentum se Ecclesiæ Dei commendavit, donec pestilenti anthrace correptus ibidem suprémum diem in Ecclesiæ Orthodoxæ communione obiit Anno cIↃ IↃ LXIV.

3. *Nicolaus Storch* & *Marcus Stubnerus* diversis studiis plebem incautam sibi conciliare sategêre, iste eruditione & ἀγχινοίᾳ quadam in S. Scripturæ expositione, ille, literarum quippe rudis, eloquentiâ populari, enthusiasmis & secretorum cum Deo colloquiorum famâ, uterque πολυπραγμοσύνῃ, & technis variis. Cautiùs tamen & lentiùs ab istis actum, ferociùs verò & impotentiùs à *Thoma Muntzero*, cujus auspiciis funesta illa Rusticorum seditio, qua Germania superiori seculo graviter admodum concussa fuit, in ner-

nervum erupit, & cum illâ fructus novi istius Euangelii à *Storchio* & *Stubnero* plebejorum animis impressi. Utriusque verò vita reliqua & catastrophe inter incerta habentur. De *Muntzeri* molitionibus & horrendis, qui eas excepêre, motibus sigillatim agendum.

3. *Occasionem* in partes secedendi, & Dei Ecclesiam scindendi arripuêre homines fanatici ex libro *Lutheri* de *Libertate Christianâ*, qui habetur *Operum ejusdem* Tomo II. & prodiit primùm Anno cIↃ IↃ. xx postquam in eo legêre, *Christianum hominem omnium Dominum esse, & nulli subj dum.* Quę verba sano sensu à *Luthero*, Eximio Dei Servo, scripta, & prolixa ἐξηγήσει declarata, oppositóque aphorismo, *eundem omnium servum esse, & omnibus subjectum*, exposita, detorta fuêre in sensum sequiorem ab hominibus suæ pariter & alienæ quietis impatientibus, & ea occasione apud plebem in privatis primùm gurgustiis, pòst ex ambone etiam cruda Principum imperia traducta, expilationes objectæ libertas sub regno Christi omnibus parta, jactata, nec tantùm de Pontificis Romani tyrannide, verùm etiam de ἀπλήστοις multis

multis à primis Reformatoribus in Ecclesiâ toleratis querelæ institutæ, & sic duæ ordinis publici columnæ labefactatæ, Magistratûs dignitas, & Ministerii sacri reverētia, ac utriusq; authoritas. Inde de novâ & perfectiori Ecclesiâ condendâ, novâq; ejus πολιτείᾳ actum, & ista occasione cogitatū: de ejus Mystis novo Baptismo initiandis, Et ne Baptismi prioris obstaret religio, declamatum in Pædobaptismum, ut vanum, immò illicitum, infantibus quippe ejus haudquaquam capacibus collatum, quum Sacramentum istud non nisi adultis, & sui judicii ac suæ sponte hominibus debeat conferri. Et ut altiùs plebis animos subiret novitię istius Ecclesiæ, quam hi Doctores è ruderibus excitatam volebant, ardor, praxin pietatis ipsi præ se ferre & in cultare aliis studio habebant. Hinc & publicarum concionum & privatorum congressuum themata ordinaria erant, *detestandum* esse *peccatum, carnem macerandam, excitandum spiritum, charitatis officia exercenda, crucem Domini ferendam, jejunis vacandum, vestitu tenui, victu modico, cultu corporis ad neglectum potius, quàm ad elegantiam composito, &*

parcis

parcis admodum verbis utendum esse. Satis verò dici nequit, quantum hac κυβείᾳ humani generis hostis se in Angelum lucis formando, & βάθη sua occultando promoverit, & quàm obnoxios sibi reddiderint homines etiam non malos novi isti Euangelistę, ficto illo pietatis & sanctitatis schemate.

5. Ita præparatis animis *Thomas Muntzerus*, Cygneæ primùm, pòst Alsteti in collimitio Thuringię & Saxoniæ sito oppido Pastor, ulterius sibi progrediendum ratus audaci facinore se obstrinxit, immò animum ad quævis flagitia obfirmavit. Quum enim animadvertisset *Lutheri* nomen ob *Libertatem Ecclesiasticam* restitutam passim inclarescere, & omnium animos in illum converti, se quoque nobili instituto omnibus commendandum censuit; & *libertatis* instaurationem & vindicias subditorum à jugo & tyrannide (sic enim Principum & Magistratûs dominium homo ordinis divini contemptor vocare solebat) profiteri ausus est. Quod facinus cum *Luthero*, quo cum VVittenbergæ aliquoties congressus fuit, nec persuadere posset, nec probare, sed ab eo

eo increpitus, & de tranquillitate publicâ haud quaquam solicitandâ, immò de ordine à Deo instituto suspiciendo seriò monitus fuisset, in *Lutherum* ipsum insurgere & detonare cœpit, & queri, *Lutherum* æquè ac Papam Romanum peccare, ab illo quidem Reformationis opus aliquatenus promotum, sed multo adhuc fermento infectũ relinqui: immò *Lutherum* ipso Papâ deteriorem esse, ob Euangelium carnale tantùm promulgatum. Nec destitit de Magistratus tyrannide paratragœdiare, & inculcare plebi, *omnia natura libera esse & communia: excutiendum esse Principum æquè ac Pontificis Romani jugum*, & quia illi blandis monitis haudquaquam cedant, sed bona & capita subditorum libidini suæ vectigalia esse velint, justissimis armis id omnibus vindicandum esse, quod omnium esse Deus voluerit. Classico isto excita, & novæ cujusdam libertatis dulcedine pellecta passim plebs funestis se motibus implicuit. Ad lacum Acronium turbatum, in Alsatiâ & Sueviâ globi factiosorum coacti, & libertas passim jactata, spretâ immò excussâ omni, quę principibus debebatur

tur, reverentiâ & obsequio.

5. Quum Satan hac ratione non renascentem solùm Ecclesiam scindere, ejusque faciem fœdare, verùm etiam reformationem templi Dei recens institutam exosam potestatibus reddere conatus esset, quasi eâ debitum Principibus jus in subditos abrogaretur, & novum Euangelium ad turbas tantùm præiret & seditiones, dici non potest, in quod sanctum illud Reformationis Ecclesiarum opus odium adductum fuerit apud homines veteri superstitioni adhuc affixos. Nec enim tumultus isti suis Authoribus, paucis videlicet hominum seditiosorum capitibus, sed ipsi Doctrinæ Euangelicæ & omnibus ejus Doctoribus imputari cœpêre. Idque tanto magis, quod novi isti Anabaptistarum Patriarchę familiares antea iis fuissent, quorum operâ Deus in reformandâ Domo suâ usus fuerat; & *Lutherum* in eâdem secũ sententiâ esse jactarent. Huc accedit, quòd concitata ab iis plebs se Euangelio nomen dare, solique Scripturę Sacræ hærere, & libertatem conscientiarum armis vindicare velle videretur.

6. Vt verò labem istam sibi æquè

ac

ac doctrinæ Euangelicæ adſperſam abſterſum irent Heroes illi, qui in templo Dei remetiendo fidem ac integritatem ſuam Eccleſiis paſſim probarant, ſuam & Dei cauſam publicis ſcriptis ſibi agendam cenſuêre. Quod inter alios acriter præſtitêre *Lutherus*, *Melanchton*, *Zwinglius*; *Bullingerus*, *Menius*, *Regius*, alii, & in ſeditiones & ſeditioſos graviter inveĉti, ſubditos perduelles, de ſuo erga poteſtates ſuperiores officio, ex Dei verbo monendo, tribunitios illos concionatores perſtringendo, & omnes ad quietem & debitam Principibus ſuis reverentiam hortando, nihil reliqui fecêre, ut impetum hominum ad ſcelera & cruces furibundis animis ruentium ſufflaminarent. *Lutherus* vel imprimis concitatior non παραινετικὰ tantùm ſcripta contra ſeditioſos, verùm etiam σπιλάδικα emiſit, & peculiari libello *contra Latrones & homicidas Ruſticos* vulgato ipſe claſſicum in illos cecinit, Principes hortatus, ut vi & armis latrociniorum iſtorum impetum ſiſterent, & eos ad quietem cogerent, qui perſuaderi nollent.

8. Doctores iſti novi *Muntzerus*

cum assecłis, efferati potius quàm mitigati monitisistis, tumultuantur magis magisque, *Lutherum* Doctoresque alios ὁμοψήφους nihil niſi carnalia ſapere quiritantur, & ab iis *aliquot* quidem *frondes de Anti-Chriſtianiſmo ſuccisas* jactant, ſed *arborem & radices adhuc ſupereſſe*, quæ exſcindi debeant, & quas exciſas velint. Et cùm in ſcripto Dei Verbo nullum erroribus & turbis à ſe concitatis præſidium reperirent, ad novas ſe & furores ſuos tuendi artes confugiunt, Enthuſiaſmos & inſpirationes ſecretas jactant, & paſſim incautæ ac ſibi obnoxiæ plebi inculcant, *hominem vivere in omni verbo, quod procedit ex ore Dei.* adeoq; non ex libris tantum & ſcriptis ſapiendum eſſe, ſed operam dandā *ut* ex præſcripto Apoſtoli, *prophetent omnes.* Hinc promiſcuè quivis fermè ſalſamentarius ſpiritū jactare, revelationes fingere, enthuſiaſmos *Storchi* & *Muntzeri* exemplo comminiſci, Cathedram cerdonibus & κνυοπρίσταις aperire, & quicquid ſplendidorum deliriorum dictaſſet ulli μεθοδείᾳ & πλάνῃ pro Dei verbo, extra & contra ſcriptum Dei verbum obtrudere, concionesque publicas Euangelicorum

ſuggillare, in fidem Luthcranam, quaſi bonis operibus vacuam invehi, quædam dogmata & myſteria ſua non niſi apud ſacrorum ſuorum candidatos proferre, circa alia, ſepiarum inſtar, atramentum ſpargere, ne pervideri poſſent, miris artibus ſe in domos & familias illatebrare, conventicula in abſtruſis angulis cogere, ſe ad egenos potiſſimum & abjectæ ſortis homines ſubmiſſos profiteri, & omnis generis ſtrophis animos hominum credulorum invadere & dementare.

9. Latâ ſemel portâ errori per Enthuſiaſmos aperta, quævis dogmatum novorum portenta hominibus plebejis & ad novitates prurientibus obtruſa fuêre, & turbulenta ingenia ad novum quendam in Politiâ ęque ac Eccleſiâ ſtatum in orbem Europæum introducendum erecta fuêre. Et ne vel aliqua conſcientiæ religione, vel fide Principibus jurejurando obſtricta prohiberentur, ſpargi cœptum, *juramenta* ſub Novi Teſtamenti œconomiâ illicita eſſe, adeoque ea ſive jam præſtita, ſive præſtanda ipſo jure invalida eſſe. His fundamentis in anteceſſum jactis, paſſim tribunitiis con-

cionibus velut ad pileum vocata plebs, coitiones factæ, seditiosi armati certatim in Principes suos, & funestis ac civilibus armis vastatæ, ac multo sanguine tinctę florentissimæ Provinciæ fuêre.

10. Harũ seditionum tuba & flabellum præcipuum fuit *Muntzerus*, qui, conciliatâ sibi apud incautam plebem authoritate, apertè profiteri cœpit, se divino mandato excitum tum Principibus impiis puniendis, tum mutando regimini Politico. Saxoniâ eâ de causâ à *Friderico* Saxoniæ Electore pulsus, & hinc inde per Germaniam & Helvetiam divagatus, seditionis semina ubique sparsit, & tandem Mülhusium, celebre Thuringiæ oppidum, regressus, eo audaciæ, factiosorum & sibi obnoxiorum hominum ope, processit, ut & Magistratum abrogaret, & Sectariis suis Curiam repleret, immò Politicarum æque ac Ecclesiasticarum rerum cognitionem & judicium sibi vindicaret, hoc dogmate sparso, *Judicia sub Novo Testamento ex solo Dei Verbo constituenda & administranda esse.* Vt verò animos promiscuæ plebis, cui ordinariè exiguus census esse solet, sibi

sibi arctè devinciret, non tantùm Monasteria prædam publicam esse voluit, & spolium obvium, verùm etiam communionem bonorum, exemplo Ecclesiæ primitivæ Apostolicę, imperavit, & iis quibus res lauta domi erat, assensum vel argumentis persuasit, vel vi metuve pejorum extorsit. Quum nihil in speciem faventius auribus plebis vel exactionibus attritæ, vel Superiorum duriore quandoque imperio pressæ, vel *res inopes* habentis, admoveri posset, & *Munzerus* literis seditiosis passim per emissarios suos disseminatis, dogma istud nùncupatum præconio de omnimodâ libertate vulgaret, in compluribus Provinciis motus ingentes sequuti fuêre, in Thuringiâ, Suevià & Franconiâ potissimùm, ubi rusticana plebs maximo numero coacta ad arma ruit, Magistratus imperia & dignitatẽ spernit, arces ac fortalitia, ut pedicas suæ libertati injectas, demolitur. *Muntzerus* hominum istorum, plus satis jam furentium, animos accendit, metallarios è fodinis Mansfeldicis ad tumultus & prædam vocat, se *Dei servum ad impios exscindendos divinitus constitutum* omnibus denuntiat, & *sibi gladium Gedeonis*

deonis à Deo commissum jactat, subscriptione ità in literis suis ordinariè adhibitâ, *Thomas Muntzer, servus Dei contra impios*, item, *Thomas Muntzer cum gladio Gedeonis.* Furibundi hominis animum accendit magis magisque *Henricus Pfeifferus*, qui ex Monacho rabula factus & visionem cœlestem mentitus, copias ac factiosos cogit, & aciem educit. Saxoniæ, Brunsvici, & Hassiæ Principes cum Comitibus Mansfeldiæ ad arma à perduellibus compulsi exercitum parant, & post monita varia nequicquam adhibita, agricolarum potius quàm militum manipulos, qui montem Franckenhusio oppido vicinum insederant, adoriuntur, & jam ante pugnam trepidantes, ac frustra tremulâ *Muntzeri* voce ad fortitudinem & constantiam excitatos, fundunt & profligant, Franckenhusium expugnant, & Muntzerum, qui eò se fuga proripuerat, & morbum velut diuturno languore emaciatus simulabat, singulari Dei providentiâ, à servo Nobilis cujusdam, ex literis quibusdam prope lectum decumbentis in pera conditis, agnitum, & è latebris protractum cũ socio *Pfeiffero* in custodiam

diam dant. Vbi complicum nominibus per fidiculas & tormenta expressis, scelus suum, & multarum myriadum mortes gladio ultore, propè Mulhusiũ, unà cum *Pfeiffero* propè Isenacum capto, percussus, desperabundus propemodum sub carnifice luit Anno cIↃ IↃ xxv. Arma victricia alibi etiam in Suevia, Thuringiâ, Franconiâ, Bavariâ, Alsatiâ, Austriâ, & Stiriâ, à Principibus circumferuntur, globi hominum agrestium passim palantes dissipantur, urbes à factiosis hominibus occupatæ vel expugnantur, vel ad deditionem coguntur, & aliquot capitum suppliciis coërcentur multi, terrentur omnes, sistitur malum grassans, & pristina Provinciis istis tranquillitas velut postliminio restituitur.

11. Fanaticis & seditiosis istis hominibus armis in Germaniâ superiore repressis, & perduellionis fomite multo sanguine extincto, recruduit malum istud in Helvetiâ, & Anabaptistica dogmata antea à *Muntzero* istis locis peregrinante, sparsa, & ab aliquot verbi præconibus pronis auribus & animis excepta, plebi privatis publicisque concionibus incuicata fuêre, è quibus

bus primipili erant *Felix Mantzius*, & *Conradus Grebelius* Tigurini, quorum ille ad Hebraicam, iste ad Græcam professionem frustra ambiverat, ut & *Balthasar Hubmeierus* VValdshutensis oppidi pastor, qui cùm non voce tantùm, sed libro etiam de Anabaptismo publicato multorum conscientias turbasset, *Hulàricus Zwinglius*, strenuus veritatis assertor, hominem turbulentum edito scripto confutavit. Et Tiguri cum duobus prioribus solenni disputatione, post duas alias Anno clɔ Iɔ xxv. Mensibus Ianuario & Martio prius habitas, Mense Novembri in ipsa Curia publicè triduo integro congressus, eorum contra Pædobaptismum sive argumenta, sive cavilla, quibus eum à *Nicolao* Papa demum institutum contendebant, fortiter cum plena ἀποδείξει πνεύματος καὶ δυνάμεως retudit. Disputatione ista triumphato Anabaptismo, *Zwinglii*, *Leonis Iudæ*, & *Casparis Megandri* opera, & veritate in aperto constituta, Senatus Tigurinus solenni edicto Pædobaptismum sancit, & Anabaptismi Doctoribus silentium & quietem imperat.

15. Nec

12. Nec tamen adhuc cessatum à turbonibus, quin potius clandestinis coitionibus non tantùm Anabaptismus multis civium denuò persuasus fuit, verum etiam multa capita, quæ se novis illis patriarchis addixerant, iterùm tincta fuêre. Ei rei operam suam commodarunt *Gulielmus Raubli*, *Panicellus Brotlein*, *Georgius Blaurock*, *Iohannes Denckius*, *Andreas Stultzius*, & præ aliis *Hubmeierus*, qui cùm Euangelii doctrinam prius VValdshuti, oppido Helvetiis contermino, docuisset, & postmodum ad Anabaptistas defecisset, adeoque civibus inter se ob divortium istud sententiarum commissis, Austriacorum armis, & idolomaniæ Pontificiæ denuo urbem objecisset, Tigurum confugerat, & ibi clam apud Mystas suos latitabat, donec à Senatu deprehensus, & in Curia causâ dicere jussus à *Swinglio* ex Dei verbo errorum variorum reus perageretur. Ille verò palinodiam publicam ultrò pollicitus in ipsa cathedra errores suos denuò populo occinit. Increpitus hoc nomine, & sibi à Satana ista inspirata fassus, tandem post pollicitationes multas, & ejurata Ana-

baptiſtica dogmata urbe dimiſſus fuit. Vt verò in vetitum niti ſolent homines, & negata cupere, ſic ſufflamine iſto haudquaquam cohiberi potuit promiſcua multitudo, quin fanaticorum iſtorum placitis, magna arte & eloquentia à Doctoribus Anabaptiſtarum commendatis, clam faveret, accedente ad dogmatis novitatem vano quodam commiſerationis affectu in Euangeliſtas iſtos, qui miſeri potius eſſe videbantur quàm mali, & ſuę potius tranquillitatis quàm fidei prodigi, pertinaciâ illorum conſtantiæ deputatâ. Ita ut Senatus Tigurinus ſevero tandem edicto ei rei intercedere cogeretur Anno cIↃ. IↃ. xxx. capitis pœna in Anabaptiſtarum Doctores decreta, & gravibus in eorum receptatores mulctis. Dogma *Hubmeieri* inter alia fuit, ſpiritum Adami non conſenſiſſe in peccatum, adeoque integrum manſiſſe poſt peccatum, nec libertatem ſuam amiſiſſe, ſed tantùm carnem.

13. Quin & *Baſileenſis* ager infelici iſto lolio conſitus, & ibidem ab Anabaptiſtis turbatum fuit, quibus cum *Oecolampadius* Theologus gravis, Anno cIↃ IↃ xxv & cIↃ IↃ xxvii & cIↃ

IↃ

Io xxix Basileæ super articulis *de Pedobaptismo*, *Anabaptismo*, *Magistratu*, *Iurejurando* congressus, causę quidem abundè satisfecit, actoribus verò pervicacibus non item, ita ut Prudentissimi Senatus, & strenui gloriæ divinæ vindicis, in Anabaptistarum sectariis coërcendis authoritate, Ecclesiæ Basileensis tranquillitati simul & puritati consulendum ibidem fuerit.

14. *Bernensis* quoque Reipublicę quies ab hominibus istis, *Ludovico* præsertim *Hetsero*, *Iohanne Trayero*, & *Ioanne Secklero*, solicitata fuit, & Anabaptistis ad publicam disputationem Anno clo Io xxvi i i admissis, errores revicti, & eorum Antesignani à *Bertholdo Hallero* & *Francisco Kolbio*, verbi Ministris confutati fuêre. Quum tamen nondum sibi satisfactum in angulis mussitarent Anabaptistæ, ne non veritas de errore palam triumpharet, ab Amplissimo Senatu Bernensi solennis denuò disputatio Anno clo Io xxxi i. Mense Iulio Zofingæ in Argovia in agro Bernensi indicta fuit, quę inter Bernensis Ecclesię Ministros & Anabaptistarum Doctores ibidem instituta, & per novendium integrum protracta

grum protracta, à Notariis publicis excepta, & publici juris facta, ad multorum animos in veritate confirmandos, alios verò ab errore revocandos, multùm momenti attulit. Et cum sub Annum clɔ Iɔ LXX IX. Anabaptistæ quidam novos in Bernensi agro motus excitarent, Magistratûs vigilantiâ & severis Edictis Sectarii coërciti, & malum glisens repressum fuit.

15. In *Galli* quin etiam *Fano*, oppido Helvetiorum pagis fœdere juncto, non leves turbæ datæ à *Conrado Grebelio*, ejusque discipulis, & id omnibus machinis, suggestionibus clancularijs, concionibus publicis, scriptis, & quibusvis illicijs tentatum, ut urbs ista inclyta Pella fieret, & receptus huic hominum generi, sed singulari Dei beneficio *Zwinglii* scriptis, *Joachimi Vadiani* zelo, & prudentia Magistratûs ei rei intercessum, & turbones urbe ejecti fuêre. Nec parum Anabaptistis publico bonorum omnium odio in istâ urbe exponendis conduxit horrendum *Thomæ Schuckeri*, discipuli *Melchioris Rinckii* Anabaptistarum Coryphæi, facinus. Is enim confertâ id genus homi-

minum concione aliquando coactâ, raptum & inſpirationem cœleſtem mentitus, fratre *Leonhardo Schuckero* in genua procumbere juſſo, gladium petit. Rogatus à Patre, & Matre, aliiſque adſtantibus, quid ſibi vellet iſto apparatu, reſpondit; bono animo eſſent nihil ſe facturum niſi quod à Patre cœleſti ſibi revelatum foret. Omnium animis ad novum ſpectaculum erectis, inſanus iſte Propheta ſtricto enſe fratris caput à trunco uno ictu reciſum in terram provolvit, & ingentem adſtantibus terrorem incuſſit, parentibus verò ſuis cordolium altum expreſſit & multos gemitus. A Magiſtratu ob immane iſtud fratricidium comprehenſus, condignas ſcelere ſuo pœnas dedit, nullâ tamen flagitii admiſſi pœnitentia, ductus, ſed in pegmate adhuc profeſſus, hanc Dei voluntatẽ ſibi cœlitus revelatam fuiſſe. Contigit tragicus iſte caſus in Fano Galli Anno cIↃ IↃ xxvii, qui Magiſtratûs Chriſtiani animum non parum commovit, & in rabioſos iſtos Prophetas, Prophetarumque iſtorum filios concitavit, & ad ſevera, contra Anabaptiſtarum in ſua urbe & ditione moram,

edicta compulit. Hominum verò istorum discessus Vrbi quidem Sangallensi quietem, vicino verò *Abbatis Cellensis* agro novos motus peperit, hominibus inquietis hinc inde ad res novandas, & cœptum ibi Reformationis opus turbandum dilapsis.

16. Hoc theatro etiam excussus Sathan aliud in florentissimis multis Germaniæ Vrbibus erectum sibi voluit, & *Argentorati* ab *Hofmanno VVormatiæ* à *Cantio*, *Augustæ* à *Iacobo* quodam Pellione, *Vlmæ* à *Kleibero*, ab aliis alibi Anabaptistarum doctrina spargi & disseminari cœpit, quorum conatibus à Magistratu simul & fidis Dei servis obviam itum, homines turbulenti repressi, & pestilentia dogmata publicis congressibus revicta, & edictis solemnibus repressa fuêre, quamvis sub dolosis sæpe cineribus latitaret ignis accensus a fanaticis Doctoribus, qui subinde erupit variis in locis.

17. Helvetiâ verò & Germaniâ superiori excussi Anabaptistæ multi Moraviam concessêre, & se ibidem adjunxêre factiosis id genus hominibus, qui ad novitates pruriebant. Cœtibus multis, variis artibus, collectis,

lectis, & emiſſariis pluribus in Provincias & Regna vicina ablegatis, Bohemiam, Poloniam, Hungariam, Auſtriam & Sileſiam eadem peſtis invaſit. Quam cum ſeditiones paſſim conſequerentur & turbæ, quidam ex iis comprehenſi molitiones illas capite luêre è quibus fuit *Balthaſar Hubmeierus*, qui rebus in Moravia turbatis, Viennam abductus, ibidem exuſtus fuit. Quod ab Anabaptiſtis Martyrio deputatum, animos illorum accendit potius quam mitigavit, vel compeſcuit, nec ob id minus omnes machinę adhibitę ſectæ firmandæ propagandæque, ſive quas zelus ſine ſcientia hominibus non malis ſuggerebat, ſive quas Sectariorum Duces callido commento excogitavêre. E quibus non minima fuit publicatio ſupra commemorati dogmatis de *communione bonorum*, quod pronis auribus & animis exceptum fuit à promiſcua hominum colluvie, cui res parva domi, & omnis in alieno ſpes erat. Id tamen aliquatenus Sectariorum progreſſus retardavit, quod, ut inquietum eſt humanum ingenium, in partes ire cœperint Anabaptiſtæ Moravi, & ex una

Secta

Secta duę fierent, *Hutterianorum* una, *Gabrieliſtarum* altera, à Choragis duobus, *Iacobo Huttero*, & *Gabriele Scherdingo* ſic dictæ, qui primi facem Sectariis reliquis in Moravia prætulerunt.

18. Vt verò Germania ſuperior obnoxia fuit Anabaptiſtarum turbis, ſic non immunis fuit à Spiritu iſto vertiginis Germania inferior; ſed florentiſſimę Provincię, VVeſtphalia, Friſia & Hollandia per novos Apoſtolos conturbatę graviter fuêre, à quibus, non niſi Dei verbum & revelationes cœleſtes crepantibus, & externa quadam vitæ compoſitę ſpeciè ſe commendantibus, ingens hominum multitudo corrupta, & fermento illo Anabaptiſtico infecta fuit. Præcipuè verò *Monaſterii* celebris VVeſtphaliæ Vrbs à Prophetis novis infeſſa fuit. Quod quidem certis velut gradibus factum. Cùm primùm *Bernardi Rotmanni* opera Euangelii doctrina in Vrbe iſta diffundi cœpit, ingens hominum multitudo ſe ei adjunxit. Pontificiis nequicquam eo nomine tumultuantibus, *Rotmannus* Magiſtratus ad ſe mitti petit Paſtores aliquot, quorum conſilio & operâ cœptum Reformationis negotium

tium promoveri posset. Submissis *Petro VVirthemio* & *Godefrido Stralen*, *Rotmannus* cum Collegis Pontificios Doctores ad Disputationem solennem provocat, errores eorum scripto consignat, & eorum confutationem ex sacris litteris pollicetur. Quum verò Pontificii se impares ad congressum, & dogmatum suorum ex Scriptura defensionem faterentur, submoventur à publico docendi munere, sex templa occupantur ab Euangelicis. Canonici & illorum assecłæ coràm Episcopo de Monasterienſium iniquitate conqueruntur; iste per literas & Legatum præcones novos Vrbe ejiciendos, suos verò restituendos monet. Quum tamen nequicquam minis rem ageret Episcopus, & Euangelicorum numerus major esset, quàm ut in arctum cogi possent, Illustrissimi Hassiæ Landgravii interventu negotium istud componitur, Euangelicis præconibus templa certa assignantur, Cathedrale Canonicis, & Episcopo jus suum, illis proventus etiam ordinarii relinquuntur. Quum ex eo tempore mensibus aliquot sine tumultu suis quiq; sacris operati essent,

Mo-

Monasterium clam confluxère Anabaptistę quidam, Anno Domini clo lo xxxi ii è quorum numero antesignani fuêre *Iohannes Matthias*, Pistor Harlemensis, & *Iohannes Bocoldus* Sartor Leidensis, qui clam à civibus quibusdam excepti nocturnos cœtus cogunt in angulis, novum Catechismum docent, Pædobaptismum damnant, Mystas suos non novatantùm Baptismi doctrinâ, verum etiam iterato ritu imbuunt, & bonorum communionem urgent. Quum novitii isti Doctores, *Iohannes Leidensis* præsertim, pellaci quadam dicendi vi. & ficto pietatis schemate, habens εἶδος cęteroquin ἄξιον τυραννίδος, in credulorum hominum animos invasisset, in ingentem numerum nova Secta brevi temporis intervallo excrevit, cùm ei se passim adjungerent omnes ii, quos vel æs alienum premeret, vel res angusta domi: immò quibus animus ad facinora & turbas pronus erat. Quibus accessit peregrinorum hominum colluvies eò ab Anabaptistis ex vicinis Provinciis evocata, quorum adventu audaciores facti Prophetæ novi Ministris Euangelicis super Pædobaptismo litem mo-

movent. *Rotmannus*, obliquato velo auram popularem ſecutus, Anabaptiſtis primò ſegniter ſe opponit, poſt modum contrà fidem datam latus præbet, & ad eos apertè deficit, ut & *Hermannus Strapeda*, *Henricus Rullius*, *Godefridus Stralen*, aliique. Sciſſa denuo in partes & factiones Vrbe, Senatus Publicam Diſputationem indicit ſuper doctrina, congrediuntur Anno cIↃ IↃ XXXIII menſe Auguſto *Rotmannus* & Sectarii alii cum *Hermanno Buſcio*, *Ioanne Glandorpio*, *Petro VVrthemio*, *Ioanne Holtmanno*; & eorum Collegis. Quum & hîc veritas de errore triumphaſſet, Senatûs conſulto Anabaptiſtis edicitur, ut Vrbe excederent. Anabaptiſtæ diſceſſu ſimulato, ſe in ſuis abdunt gurguſtiis, & Civium multorum favore freti clandeſtinis concionibus cauſam ſuam & dogmata nova tuentur, confirmant, diffundunt. Tumultus varii excitantur in Vrbe, Viri graves & Orthodoxiæ faventes, vel animo præcipientes ſecuturam cladem, vel metu fracti Vrbe excedunt. A diſputationibus devenitur ad pugnam, & qui ante latitare cogebantur, in aciem contra Euangelicos procedunt. Tandem

pace

pace & libertate conſcientiarum utrimque ſancitâ, diſſidia componuntur, ſed ad tempus duntaxat. Nec enim id vertigioſis hominibus & ad turbas & res novandas erectis ſatis videbatur, libertatem ſibi ſuiſque impetraſſe, quin potius ad omnimodam omnia pro arbitrio regendi, verſandique licentiam ambiant. Prophetæ novi *Iohannes Matthias* & *Iohannes Leidenſis* eſtaſes & enthuſiaſmos fingunt, horrendis clamoribus per circulos & compita emiſſis omnes ad pœnitentiã vocant, prodigia multa ſpargunturin vulgus, *Oſnabrugo*, *VVeſaliâ*, *VVarendorpio*, & vicinis oppidis aliis Anabaptiſtarum myſteriis imbuti evocantur ſub promiſſo ſplendido centupli pro relictis bonis accipiendi. Senatores plerique Vrbe excedunt, exauthorantur reliqui, Vrbis facies innovatur, Conſules novi creantur à Prophetis, & inter illos *Bernhardus Cnipperdollingh*, homo novandi vetus. manu prõptus, & ad turbas factus. Cui adjunguntur Senatores, omnes ejuſdem inſtituti & commatis homines, Eccleſiaſticis cœtibus præficitur *Iulius* quidam *Friſius Rotmannus*, alii: Monaſteria & tem-

pla

pia diripiuntur, ingens præda convehitur, & communis censetur, immò bonorum omnium communio novo Edicto sub capitis etiam pœna à Prophetis novis sancitur, omnes præter Biblia libri flammis abolentur, Scholę abrogantur, immò & conventus Ecclesiastici publici, Prophetis crebrò ingeminantibus. *beatum illud tempus adesse, quo omnes docendi sint à Deo.* Et cùm ab Episcopo obsideretur Civitas, Prophetæ novi vim parant, munimenta excitant, campanas in machinas bellicas conflant, & distributis operis plebem non tantum fictis logis circumducunt, verùm etiam insanis laboribus atterunt, & authoritatem suam sævitia & crudelitate in contradicentes firmant, *Ioanne Matthia*, qui temerè se ex Vrbe in confertum hostium globum cum exigua manu effuderat, paulo post sublato, & turbatis civium animis, *Ioannes Leidensis* rem restituendam ratus, ejus mortem, ut & genus mortis, sibi jam dudum prædicta fingit, omnes ad spes novas & miraculosã ad obsidione liberationem cum *Rotmanno* erigit, & propulsato hostium aliquoties infeliciter muris succedentium impetu prædictio-

dictionibus ſuis fidem conciliat. Inde velut in ecſtaſin raptus, & triduo elinguis, tandem Duodecem-Viros factioſos, velut juſſu Patris cœleſtis, *novo Iſraeli* præficiendos clamat, ipſe ſibi, ut Dei vates, authoritatem ſingulis mandata divina edicendi ſervat, polygamiam, adulteriis & libidinibus ſuis velandis, ſancit, in diſſentientes ſævit, & multis cædibus tyrannidem ſuam munit, ita ut ex hominis iſtius flagitioſi arbitrio non fortunæ ſolùm, ſed capita etiam & vitæ civium omnium penderent, qui Prophetas vel verbo illuderet, Majeſtatis poſtulatus hominum nequiſſimorum libidini victima fieret, & divina humanaque jura omnia proculcarentur. Quin etiam eò uſque hominis nefarii prorupit veſania, ut aurifabri cujuſdam VVarendorpiani, enthuſiaſmum & revelationem mentiti, ac ab eo ſubornati, aſtu, & inſanientis populi ſtupore, in thronum Regium terræ filius evaderet, & regnum Hiſtrionicum in oppreſſa Vrbe exerceret, Regium apparatum, ſupellectilem, ac ſatellitium ſibi compararet, promiſcuis ſtupris, cædibus, & inaudita tyrannide ſæviret,

Prin-

Principatus & Ducatus inter ſuos pro arbitrio diſtribueret, & per emiſſarios ſuos *Regnum Sionis* promulgaret, paſſimque ad ſeditiones & turbas plebejos homines armaret, immò vix fidem aliquando apud poſteritatem habitura flagitia moliretur, titulo iſto etiam fanatico ſibi adſcripto, *Ioannes Rex nova Hieroſolyma, Rex Juſtitiæ ſuper univerſum orbem.* De quibus prolixè videri poſſunt *Ioannes Sleidanus* Comment. lib. x. *Lambertus Hortenſius Montfortius* libro de Tumultibus Anabaptiſtarum, & *Ioannes VVigandus* Epiſcopus Pomezaniensis in volum. de Anabaptiſmo publicato. Quę Hiſtrionia, vel Tragœdia potius eouſq; duravit, donec, Civitate ad ſummā inediam redacta, & Prophetarum ſuorum furores ac credulitatem ſuam ſerò nimis nequicquam agnoſcente, per ſtratagema expugnata, & *Ioanne Leidenſi* unà cum *Cnipperdollingo* & anteſignanis aliis comprehenſo, poſt colloquia Anno Io Ixxxvi inter illos & *Antonium Corvinum*, ac *Ioannem Kymæum* Theologos Haſſiacos ſine fructu inſtituta, uterque juſtiſſimas horrendorum flagitiorum pœnas cum furoris ſui ſociis daret ignitis forcipibus

bus discerptus ac variè excarnificatus, ut qui non uno letho dignus esset, & hodieque in caveâ suspensus posteritatem docet, *Discere justitiam & non temnere divos.*

19. Nec tamen sive horrendis istis Anabaptismi fructibus, sive clade Monasterienſi Anabaptistarum animi in diversis Belgii Provinciis fracti fuêre, & quamvis Monasterienſium furores à se damnari multi profiterentur, certum tamen, & Doctores eorum præcipuos à Monasterienſibus Prophetis submissos in Provincias varias fuisse, & *Mennonem Simonis*, utut in Monasterienſibus multa damnaret, eos tamen pro fratribus, quamvis infirmis agnovisse, & professum fuisse, clademillorum non obstitisse quo minus Deum haberent propitium. Et sanè *Menno Simonis* ex *Vbbonis Philippi*, iste è *Bartholomæi Compactoris* Schola prodiit, cujus Apostolatus ad *Ioannem Matthiam* celebrem Monasterienſium Prophetam refertur, à quo ille primò cum *Theodorico Cuypero*. *Claſſio Alcmarienſi*, aliisque emissus fuit. Quantoperè verò factiosus ille Spiritus in *Frisia* & *Hollandia* tumultuatus fuerit, quos motus Amstelodami præsertim, & hic Leidæ, immò per Bataviam passim & Frisiam excitarit, & quàm nefarias

farias molitiones in urbium istarum perniciem struxerit, docet prolixe *Lambertus Hortensius* libro citato. Et quamvis tumultus isti in capita Authorum suorum reciderint, & à Magistratu ac verbi divini Ministris furoribus passim occursum fuerit, ita altas tamen in Provinciis istis radices hoc hominum genus egit, & simplicitatis, sinceritatis, humilitatis & charitatis singularis specie, & peculiari erga sacrum Dei verbum religione plebejorum præsertim animos dementavit, & in hodiernum usque diem dementat, ut homines etiam multi non mali, & pietatis studio flagrantes, Prophetarum istorum partibus accedant, & Reformatorum multorum licentiam in Reformatæ doctrinę præjudicium vertant; Quin etiam Doctores eorum Confessionibus & scriptis partim *Didascalicis*, partim *Apologeticis*, partim *Elenchticis* erroribus suis hodieque patrocinantur, adeò ut omni operâ ei rei intercedendum, & solicitâ curâ providendum sit, quî in errorem abreptæ, vel errori innutritæ conscientiæ Deo denuò lucrifieri possint, & à contagie simili præservari illi, quos hactenus pestilens illud sidus nondum afflavit.

20 Vt verò Babelis veteris Architecti

cti linguis inter se confusis, scelus suum pœnamque commeritam ipsi publicavêre: sic pari ratione non scotomate tantùm singulari Deus Anabaptistas percussos, verum etiam linguas eorum divisas voluit, & justissimo judicio permisit, ut non tantùm Sectarii isti à se invicem discederent, & in partes abirent, verùm etiam ut mutuo infestis animis calamísque, velut Madianitę novi, inter se concurrerent, & anathematismis mutuis in propria viscera sua grassarentur. Nec tantùm Anabaptistæ Moravi à se in vicem abeunt, verùm etiam Belgæ inter se scissi, alii in aliorum familias fulminant, & ob leves etiam causas in se mutuo anathemata stringunt. In Sectarum omnium, in quas hoc regnum divisum est, nomina, πολιτείας & dogmata, quibus à se invicem discedunt, inquirere, tædiosæ admodum indaginis foret, immò vix ulli ἔφικτον, nisi sacris hominum istorum tincto, innutritoque. Id quidem in confesso est, classes multas jam olim numeratas, hodieque adhuc numerari Anabaptistarum, quæ nomen traxêre vel à *Doctoribus*, quorum placita potissimùm sequuntur, vel à *vitæ genere*, quod profitentur, vel à *locis* in quibus receptum habuêre.

20.

21. Ad *primam Classem* quod attinet, quidam vocabantur jam olim *Muntzeriani*, qui sub seditioso isto Doctore, immò Duce, nomina sua professi, se impiis ejus dogmatibus, & flagitiosis molitionibus implicuêre. *Huttitæ* dicti alii à *Ioanne Hutto*, qui Magistri exemplo, *se corporalem Dei Israelem* vocabant, *visiones* jactabant & *enthusiasmos*, sed diros & tragicos, *Chananæos omnes gladio exscindendos*, *judicii diem instare*, *tubam Angeli audiri*. Hinc multi ex iis facultates suas prodigere cœpêre, ut non profuturam seculo futuro sarcinam. Sed qui postmodum spes inchoare longas jussi, se ad extremam inopiam redactos, & Magistri insaniam suamque credulitatem magno sibi constare, serò nimis animadvertêre. Aliis nomen hæsit *Augustinianorum* ab *Augustino* quodam, homine Bohemo, qui animas fidelium à visione Dei, ante ultimum judicii diem, exclusas, & cælum nondum reseratum esse, præterea dogmata alia fanaticis aliis communia, asserebant.

22. Alii vocati fuêre *Hoffmanniani à Melchiore Hoffmanno* homine versatili, & facundiâ populari instructo, qui Argentinæ inclarescere cœpit, & ingentem discipulorum turbam post se traxit. Huic Pa-

triarchæ etiam eorum, qui in inferiori Germaniâ ſuccreverunt, Anabaptiſtarum tradux adſcribi ſolet. Poſtquam enim Embdam conceſſiſſet Anno ꝯIↃ IↃ XXVIII, & ibidem merces ſuas multo mangonio, & ſingulari, quâ pollebat, eloquentiâ fucatas extruſiſſet, magnus hominum ad novitates prurientium confluxus, & ingens ad novam Sectam acceſſio facta fuit, ac tanta Euangeliſtæ illi conciliata authoritas, ut à diſcipulis ſuis haberetur pro Eliâ mittendo in terras ante ultimum judicii diem. Argentoratum, ob vaticinium ſenis cujuſdam Friſii, reverſus, & Anabaptiſmum publicè profeſſus, Eccleſiam Argentinenſem non parum turbavit. Synodo ſuper eâ re coactâ Menſe Iunio Anno cIↃ IↃ XXXII, ad publicam cum Verbi Miniſtris Diſputationem admiſſus fuit & dogmata ac ſomnia hominis fanatici confutata. Quum ne ſic quidem quieſceret, & Anabaptiſtæ Argentoratum novam *Hieroſolymam* eſſe jactarent, in qua novum *Chriſti regnum* erigendum foret, & *Cornelium Poltermannum* velut Enochum Eliæ illi adjungerent, ac res ad turbas ſpectaret, *Hoffmannus* in carcerem à Magiſtratu compactus fuit. Ex quo Anabaptiſtæ eum cum

144000 ſignatorum egreſſurnm jactabant, qui terram percuſſuri eſſent anathemate, & obices omnes ſibi objectos perrupturi, Eliam etiam & Enochum ſuum *duas faces* futuros & *oleas duas*, quibus nemo poſſit nocere, & ſiquidem id molirentur homines, igne ex eorum ore prodeunte, hoſtes eorum conſumendos eſſe. Quum verò nequicquam exſpectaſſent iſti Prophetarum filii ſui Eliæ liberationem, tempore à Vatibus aliis prædicto, *Hoffmannus*, ne fides ſibi periret, vel ſuis fiducia, è carcere ſcribere cœpit, ſuis per biennium quieſcendum eſſe, exemplo Eſdræ & Aggæi, quorum opera templo Dei inſtaurando impenſa pari ratione biennio cohibita fuerit, donec Deus excitârit Spiritum Cyri. Additâ itaque erroribus ſuis pertinaciâ, tandem in carcere fato functus omnes ſuorum ſpes eluſit. Dogmata *Hoffmanni* præcipua fuêre: *Verbum non aſſumpſiſſe carnem ex Maria Virgine, nec ex carne ejus, peccato quippe infectâ & maledictâ: Chriſtum unam tantùm naturam habuiſſe. Salutis aſſequendæ rationem eſſe ἐφ' ἡμῖν, & eam à libero arbitrio vel perfici, vel excuti. Pædobaptiſmum ab hoſte potius Dei hominùmque quàm à Deo eſſe.* Ad hanc claſſem pertinent etiam, *Gabrielitæ* &

Hutteriani Anabaptiſtæ Moravi, à Doctoribus ſuis ante nominatis his nominibus inſigniti. Sic *Mennonitæ* alii ex Anabaptiſtis jam olim dicti, hodieque dicuntur à *Mennone Simonis* celebri Anabaptiſtarum Apoſtolo, qui ex quodam Friſiæ pago propè Harlingam ortus, è Papatu quidem emerſit, ſed Anabaptiſticis erroribus immerſus. circa ortum humanæ Chriſti naturæ, Pædobaptiſmum, Magiſtratus officium, & alia id genus dogmata, non tantum Hæreſes varias amplexus eſt, verum etiam eas voce, colloquiis, ſcriptis paſſim diſſeminavit, & quamvis cum *Martino Micronio, VViſmariæ* Anno cIↃ IↃ LIV ſolenni Diſputatione congreſſus, nullâ ſophiſtica vim veritatis vel eludere poſſet, vel declinare, in ſuis tamen erroribus ſpargendis & defendendis perſtitit, donec Lubecam inter & Hamburgum Anno cIↃ IↃ LIX. vel, ut alii volunt, cIↃ IↃ LXI, Sexagenario major Oldeſloę obiret. Inconſtantiam & contradictiones vertiginoſi iſtius Doctoris, & ſcripta *Mennonis* docent, & Doctores Orthodoxi ſatis ſuperque demonſtrarunt. Ab hoc *Mennone* plerique Anabaptiſtæ Belgæ *Mennonitæ* vocari vulgò ſolent, quamvis non omnes ex iis hujus Doctoris placita

ſe-

ſequantur. Propriè dicti *Mennonitæ* in partes etiam ivêre, & alii ex iis *Mennonitæveteres, Recentiores & Iuniores* alii, dicti fuêre.

23. His Anabaptiſtarum claſſibus, quę à Doctoribus nomen ſuum traxêre, accenſeri etiam ſolent à quibuſdam 1. *Servetiani*, 11. *Georgiani*, 111. *Swenckfeldiani*, propter Catabaptiſmum, Anabaptiſmum, Enthuſiaſmos, & dogmata multa heterodoxa, quæ cum Anabaptiſtis communia habuêre, *Servetiani* ſic dicti à *Michaele Serveto* Hiſpano, qui ob execrandas & ἀρρήτους in S. Trinitatem, & Dei Filium blaſphemias, ſummâ cum obſtinatione effuſas, & flagitia alia, non ſolo *Calvini* ſummi & ſanctiſſimi Theologi impulſu, quod à quibuſdam, ex merâ ærugine, ſpargitur, ſed maturo conſilio, & re cum Rebuſpublicis & Eccleſiis Helveticis communicatâ, Genevæ exuſtus, impiam animam inter blaſphemias in rogo adhuc ſparſas effudit, & Pontificiorum æquè ac Euangelicorum judicio digniſſimus habitus fuit, qui ultricibus flammis periret.

24. *Davidiani* verò à *Davide Georgio* Delffenſi Batavo nomen habuêre, impoſtore famoſo, & horrendarum blaſphe-

miarum æq; ac propudioſarum libidinum Magiſtro, qui eouſque audaciæ & impietatis progredi auſus fuit, ut, præter dogmata quædam alia, in quibus cum Anabaptiſtis conſpiravit, ſe pro Chriſto Dei venditare, æterno æterni Dei filio præferre, ſibi vaticinia Prophetica de Chriſto Servatore à Sanctis Dei viris enuntiata applicare, & fanatica ac impia dogmata ſua ſacroſancto Dei verbo anteferre auſus fuerit, homo ἀλητειώδης, immò portentum & dehoneſtamentum generis humani. Quas blaſphemias cum deliriis aliis in *librum Mirabilium* congeſſit, ubi etiam docet, Doctrinam in Scripturâ ſacrâ traditam, imperfectam, immò puerilem & carnalē eſſe, & velut in infantiâ mundi traditam. Et quamvis blaſphemiæ iſtæ vix ulli mortaliū perſuaderi poſſe videantur, dici tamen ſatis non poteſt, quantam hominum multitudinē in partes ſuas pertraxerit flagitioſiſſimus mortalium: duobus potiſſimùm mediis. 1. Externâ vitæ ſanctimoniâ, & aſſiduo ac ardenti in ſpeciem preces ad Deum fundendi ſtudio. 2. Cautâ & verſutâ dogmata ſua diſpenſandi & inſtillandi aliis ratione, ab uno ſenſim ſibi gradum ſtruendo ad aliud, miris modis hominum credulorum animos

mos invadendo, & fidem ac authoritatem sibi conciliando, nec horrenda ista mysteria nisi Mystis jam planè sibi obnoxiis, & secretò quidem, tradendo, quibus artibus, accedente decorâ quadam, & ad Majestatem compositâ vultus specie, innumeris manum adiit, & per ἐνέργειαν τῆ πλάνης multos per complures annos circumduxit, simulque discipulos suos argento emunxit, donec, blasphemiarum suarum pœnas meritas veritus, cùm & à *Mennone Simonis* & à *Melchiore Hoffmanno* & ab Anabaptistis aliis graviter perstringeretur, ejurato nomine gentilitio, & nomine sibi novo *Iohannis à Bruck* imposito, aliò sibi demigrandum duxit, ubi nec de nomine, nec de facie notus esset. Delegit verò sibi Basileam, Urbem inclytam, quò rerum suarum sedem transferret, & cùm, persecutionibus tum in his Belgii Provinciis in Reformatos passim grassantibus, se ex eorum exulum numero profiteretur, qui Christi causa solū mutare cogerentur, à pientissimo Magistratu, & exulibus ob Dei causam extorribus favente, receptum impetravit, cùm familia & Sectariis aliquot suis. Vbi virus suum texit diu homo sinuosus, & Magistratui fidem obstringendo, Eccleśi-

asticos cœtus frequentando, officiis variis multorum animos sibi conciliando, & liberali cultu, victu, satellitio etiam composito, suavi quoque ac prudenti conversatione, plebis simul, & illorum qui in dignitate erant constituti, gratiam occupando, tuto & splendidè quidem, suburbano sibi ultra amplas in Vrbe ædes comparato, vixit, donec Anno Domini cIↃ IↃ LVI. circa Mensem Septembrem diris conscientiæ morsibus, & supplicii imminentis metu potiùs, quàm morbo contabuit, quum animadverteret & à peregrinis quibusdam Belgis Basileam confluentibus sibi larvam detrahi, & Sectariorum suorum etiam animos nutare. Quod mirum tamen esse possit, triennio demum post obitum istius impostoris, honestè in Æde Leonhardi tumulati, aulæo diducto fabula panditur. Blasphemiæ hominis scelesti deferuntur ad Senatum, Sectarii illius in Curiam accersuntur; quæstio habetur de defuncti nomine, patriâ, vitâ, doctrinâ, *Davidis*, & asseclarum ædes & scrinia excutiuntur, literæ & libri comportantur, Theologis & Iuris consultis singula discutienda exhibentur. Blasphemiis & fraudibus plani illius detectis, solenni Senatus consulto

schedæ

schedæ & libri ejus omnes flammis ultricibus carnificis manu exuruntur, effigies facinorosi hominis curru ferali per compita circum ducta rogo injicitur, cadaver infame in publicum supplicii locum ferretro inclusum deportatur, & in cineres redactum aboletur. Sectariis isti impostori antea familiaribus, qui se à Magistri blasphemiis alienos fuisse, & esse pertendebãt, vitæ gratia fit à Senatu, ejusque prudentiâ & pietate obviam itur hæreseos istius contagiõ, omnes ejus disseminandæ viç obstruuntur, & ejuratâ publicè in Templo nefarii Doctoris communione, ac dogmatibus, iidem ad sacra admittuntur. Cætera quæ ad hanc historiam pertinent executi fuêre *Ioannes VVigandus* Episcopus Pomezanienſis, & Author Historiç *Davidis Georgii* recens à Viro Cl. *Iac. Revio* hic publicatç.

25. *Schwenckfeldiani* sic dicti fuêre à *Casparo à Schwenckfeld ab Ossigâ*. Equite Silesio, è Ducatu Lignicensi ex nobilissimo genere orto, qui se veræ Religioni docendæ propagandæque divinitus destinatum profitebatur, & ob singularem morum gravitatem, viçe com-

compositæ studium, & precum ardorē multorum animos sibi obnoxios habuit, *Valentinum* præsertim *Crautwaldium*, & *Sigismundum VVernerum* Professores & Pastores Lignicenses, quorum operâ in disseminandis dogmatibus suis usus fuit. Anabap. *Schwenckfeldius* cum sequacibus accenseri solet, ob multas quas sparserunt positiones, Anabaptistis conformes partim, partim affines: Docuit inter alia: *Naturam humanam Christi non esse creaturam, sed deificatam carnem*, vel *absorptam à divinitate*: Contrariam sententiam tuentes *Creaturistas* esse: *Scripturam literam mortuam esse*, secus docentes *Vocalistas & Literalistas* esse, *Illuminationes & revelationes magnifacendas esse*: Accedunt dogmatibus illis ea quę de *Pædobaptismo*, *Magistratu*, *Iuramentis*, & *Missione* Pastorum commentatus est *Schwenckfeldius* LXXX. libris quos de Religione linguâ patriâ publicavit. Quum verò à *Friderico* Lignicensium Duce A. CIↃ IↃ XXVII. proscriptus fuisset, præcipuas Superioris Germanię provincias peragravit, & Noribergæ, Augustæ. Vlmæ, Argentorati, aliisque in locis dogmata sua sparsit, & Nobilitatis vel in-

primis

primis animos suadâ suâ, & peculiari quadam sanctimoniâ sibi conciliavit: & adeò occupavit, ut hodieque in multis Germaniæ locis, præsertim in equestribus familiis, dogmatum istorum παιγονπαραδότων memoria, & occulta quædam veneratio hæreat. Obiit tandem septuagenario major in Suevia Anno cIↃ IↃ LXI. eo elogio cohonestatus, *Caput regulatum illi defuisse, cor bonum non defuisse.*

25. A *vitæ genere & professione* diversa Sectæ variæ etiam inter Anabaptistas denominatæ fuerunt. Alii enim *Apostolici*, alii *Separati* à mundo, vel *Spirituales* merè, alii *Cathari*, alii *Silentiarii*, alii *Euchitæ*, alii *Adiaphoristæ*, alii *Enthusiastæ*, & *Ecstatici*, *Libertini* alii, alii *Hamaxarii & Borboritæ* vocari cœperunt. *Apostolici* nomen illud traxerunt ex eo quod se Apostolorum imitatores profiterentur, uxores, liberos, professiones, manuarias artes deserererent, absque calceis perâ, pecuniâ, hinc inde divagarentur, pedes sibi invicem lavarent (unde & *Podonipta* dicti) & omnia juberent esse communia. *Separati à mundo* vel *Spirituales* vocati fuerunt, qui nolebant ulla in re configurari

gurari ſæculo præſenti, ſed in veſtitu, cibo, ſomno, inceſſu ſanctimoniam & ſingularitatem affectabant, conventus publicos, nuptiarum ſolennitates, convivia, muſicam & alia id genus ſęculi oblectamenta horrebant, immò riſum omnem ex præſcripto Sectæ & vitabant ipſi, & perſtringebant in aliis. *Cathari* dicebantur, qui non infantes duntaxat à peccato immunes eſſe, ſed etiam ſuę ſectæ homines adultos tales eſſe poſſe & debere, & ex talibus conſtare Eccleſiam contendebant. *Silentiarii* dicti fuerunt ii, qui non multiloquium tantùm vitandum cenſuêre, ſed & privatas ſuper religione concertationes, nec concionibus publicis locum eſſe docuêre, eò quod oſtium occluſum eſſet, & tempora mala, nec mundus dignus, cui prædicetur Euangelium. *Euchitæ* dicti, qui vim omnem mala avertuncandi, & bona in ſe derivandi tranſcribebant precibus, t& illis ſolis vacandum contendebant, nec media conquirenda ad vitam ſecularem neceſſaria, ſed à Deo immediatè omnia exſpectanda cẽſebant. *Adiaphoriſtæ* illi cenſentur inter Anabaptiſtas, qui Pædobaptiſmum, Jusjurandum,

dum, Politicorum munerum administrationem, externam verbi prædicationem, sacramentorum dispensationem & usum, fidei confessionem, & alia id genus referebant inter adiaphora, docendo, Spiritum supplere defectum rerum externarum, nec ob fidei professionem ulli de vitâ periclitandum. *Enthusiastæ & Ecstatici* dicti illi, qui præ aliis inspirationes divinas, ecstases, & secreta cum Deo colloquia jactant, prophetias suas pro Dei verbo obtrudunt, & eas scripto verbo præferunt, immò istud ex somniis suis dijudicandum contendunt. *Libertini* vocantur illi, qui à divinis & politicis legibus se per Christum exemptos gloriari, & communionem uxorum cum dogmatibus id genus aliis impuris promulgare, & praxi suâ confirmare non sunt veriti. *Hamaxarii & Borborita* dicti fuêre alii, eò quod, scissione facta à Mennonitis veteribus ob Anathematismorum severitatem, quosvis excommunicatos à Sectis aliis in communionem suam reciperent, & sic quodvis cœnum conveherent. Hujus sectæ authores fuerunt Anno ɔlɔ. Iɔ LV. *Henricus Naeldemannus & Georgius Heyns.*

Quid

Quid quod ante annos non ita multos *tres Sectæ* novæ inter Anabaptistas Flandros ortæ reliquarum numerum auxeruut, quæ in se mutuo anathematismis variis grassantur. Occasio divortii istius novi fuit subtilitas *Thomæ Beenckes* Franekeranorum Anabaptistarum Episcopi, qui domo quadam venum expositâ, amici eam sibi destinantis consilium elusit, eique callidus licitator arte prævertit. Hanc emptionẽ ut legitimam & sine dolo malo factam probarunt ex Anabaptistis multi, vel imprimis *Iacobus Petrus vander Meulen*, Harlemensium Anabaptistarum Episcopus, improbarunt alii, & non solùm contractum illum, ut dolosum, damnarunt, verùm etiam fraudem illam excommunicatione dignam censuerunt. Et hac occasione à multis in partes itum, nec Sectarii defuêre utrisque. His verò inter se litigantibus intercessit Classis quædam tertia *mediorum* vel *neutrorum*, improbantium quidem emptionem illam ut cum fraude conjunctam, censentium tamen peccatum illud tanti non esse, ut excommunicationis rigorem mereretur. Interea tres istæ Sectæ, ut ut in præcipuis fidei articulis con-

conformes, dira in se anathemata strinxerunt, & ejusdem communionis confessionem sibi invicem pertinaciter negarunt.

26. Ad *tertiam Classem* quod attinet, à *locis* etiam & *regionibus*, è quibus vel prodiere, vel in quibus nidulari sunt Anabaptistæ, & receptum habuêre, distributi jam olim fuerunt in *Germanos, Helvetios, Moravos, Belgas*: *Germani* itidē in *Suevos, Francos, Saxones, Monasterienses*: *Belgæ* in *Frisios, Flandros, Batavos, VVaterlandos, Frisii* itidem in veteres & recentes. Immò & ab urbibus quandoque denominati fuerunt, & vocati *Antverpiani, Embdani, Franequerani, Leovardienses, Ziericzeenses*, &c. Istorum omnium consensum vel dissensum sigillatim & accuratè percensere nihil attinet, nec verò id fieri facile potest, quum nihil versatilius sit isto hominum genere, & dogmata Theologica ab iis astragalorum instar hinc inde versentur, ipsi quoque ambiguis admodum phrasibus utantur, & mentem suam cothurnis variis involvant, leviſſimis etiam de causis, ob *excommunicationis* præsertim *dogma* & *praxin*, à se invicem discedant & in partes eant.

27. His

27. His in antecessum expensis liquet quibus Sectarii isti insigniantur *Nominibus*, & quâ de causâ iis insigniti soleant: Sunt verò ea vel *generalia* vel *specialia*: *Generalia* sunt *Catabaptistarum*, *Anabaptistarum*, *Enthusiastarum*, *Fanaticorum* & *Libertinorum*. Patet verò *Catabaptistas* eos vocari, eò quod invehantur in Pædobaptismum, eumq; non solùm ut inutilem, sed etiam ut illicitum ex Dei Ecclesiâ proscriptum velint: *Anabaptistas* verò, quod baptismum vel infantibus in tenerâ ætate, vel adultis extra cœtus suos collatum, repetitum velint, & actu in illis repetant, qui se eorum sectis addicunt. Patet etiam eos *Enthusiastas* vocari ob ἐνθουσιασμὸς ἔκστασις, raptus & alia id genus, quibus & secretas ac divinas inspirationes affingunt, & ob quas somniis istis sive in Scripturę expositione, sive in dogmatum fidei definitione, sive in specialium vitę actuum directione non locum tantùm, sed & authoritatem ἀνυπεύθυνον esse, aliqui saltem ex iis, voluerunt. Quâ de causa etiam *fanaticorum* nomen iis hæsit. *Libertinorum* verò nomen, ut patet, multi ex illis habent, sive à dogmatibus tantùm,

quę

quæ ſupra recenſita, ſive à *dogmatibus & praxi* ſimul, unde *Libertini* inter Anabaptiſtas alii *dogmatici* tantùm vocari potuêre, alii *Antitactici*, factioſi & *Epicurei*, quorum aliqui in poteſtates inſurrexêrunt, alii promiſcuum conjugum uſum, & alia id genus impura & carnalia dogmata praxi ſuâ expreſſerunt. Nominibus iſtis *generalioribus* accedunt etiam *ſpecialia*, alia à *Doctoribus*, à *vitæ genere*, vel *profeſſione* alia, alia ab iis, in quibus ſedem fixere, *locis*, quæ ex ſuperioribus à nobis recenſitis peti poſſunt.

FINIS

FINIS